

VIAGGIO DI LEONARDO FEA  
IN BIRMANIA E REGIONI VICINE  
(LXXX)

---

SECONDO SAGGIO SUI RAGNI BIRMANI  
DEL PROF. T. THORELL

---

II. RETITELARIAE ET ORBITELARIAE.

[Addendum ad Fam. DICTYNIDÆ]

(I. pag. 101 (261))

Gen. **Anaxibia**, n. (¹)

*Cephalothorax* paullo longior quam latior, altitudine clypei longitudinem areae oculorum mediorum paullo superante.

Oculi 8, in duas series transversas longas dispositi. Area oculorum mediorum paullo latior quam longior, paullo latior antice quam postice; medii antici mediis posticis majores, bini laterales inter se contingentes.

*Pedes* breves, aculeis carentes; calamistrum longum e serie setarum singula formatum.

*Abdomen* paullo longius quam latius; cribellum indivisum.

*Mamillae* sex; mamillae mediae reliquis multo longiores; mamillae inferiores crassae et apice truncatae, ut superiores sat breves.

Typus: *A. caudiculata*, n.

Hoc genus longitudine insolita mamillarum mediarum a reliquis Dictynidis distinctum videtur.

(¹) Nom. propr. mytholog.

\*\* 61.<sup>bis</sup> **A. caudiculata**, n., *cephalothorace rufo-testaceo, lineis duabus longitudinalibus incurvis nigris postice dilatatis, notato, et utrinque postice oblique nigro-striato; pedibus testaceis, plus minus ad longitudinem nigro-lineatis; abdomine crasso, supra nigricanti-olivaceo et maculis albicantibus nigrisque dense variato; mamillis mediis nigris et reliquis mamillis testaceis fere duplo longioribus.* — ♀ ad. Long. paullo plus 2 millim.

FEMINA. — *Cephalothorax* paullo longior quam latior, utrinque anterius modice sinuato-angustatus, fronte lata, satis altus et ad longitudinem convexus, impressionibus cephalicis parum distinctis. Clypeus non sub oculis impressus, directus, longitudine areae oculorum mediorum paullo altior, longitudine mandibularum multo humilior. Area *oculorum* lata; oculi sat parvi, medii antici tamen reliquis vel saltem mediis posticis evidenter majores. Series oculorum postica paullo deorsum curvata est, series antica a fronte visa recta, bini laterales inter se contingentes. Area oculorum mediorum paullo latior est quam longior, paullo latior antice quam postice; medii postici, non parum longius inter se quam a laterilibus posticis remoti, spatio oculi diametro multo majore separati sunt. *Sternum* latum, parum longius quam latius, apice postico sub-truncato inter coxas 4.<sup>i</sup> paris modice disjunctas evidenter pertinens. *Mandibulae* circa duplo longiores quam latiores, crassitie saltem femorum anticorum. *Maxillae* oblongae, in *labium* paullo longius quam latius et apice truncatum paullo inclinatae eoque paene duplo longiores, apice extus late et oblique rotundato-truncatae. *Pedes* breves, ad longitudinem parum inter se differentes, aculeis carentes. Calamistrum longum, e serie singula setarum compositum, secundum paene totam longitudinem metatarsi 4.<sup>i</sup> paris extensum. *Abdomen* crassum, paullo longius quam latius, breviter ovatum, postice sub-acuminatum. *Vulva* maculam ferrugineam formare videtur, quae puncta duo nigra continet. *Cribellum* indivisum. *Mamillae* inferiores crassae, apice truncatae, mediocri longitudine; mamillae superiores earum longitudine sed graciliores; mamillae mediae reliquis mamillis fere duplo longiores, graciles, art. 2.<sup>o</sup> apice angustato-acuminato.

*Color.* — *Cephalothorax* rufo-testaceus, pube crassiore albicanti



sat dense sparsus, et lineis duabus longitudinalibus paullo incurvis, ab oculis posticis retro ductis, postice in parte thoracica in suam quaeque maculam nigram dilatatis (ibi, inter has duas maculas, maculam vel plagam albam geminatam fere formantibus) notatus, praeterea utrinque postice in hac parte striis paucis oblique retro directis nigris notatus quoque. *Sternum*, *partes oris* et *palpi* testacea. *Pedes* testacei, femoribus apice postice lineola longitudinali nigra, patellae apice utrinque macula parva nigra, tibiis posticis linea longitudinali nigra postice notatis. *Abdomen* superius nigricanti-olivaceum, maculis crassis oblongis paullo inaequalibus albicantibus dense variatum, quae secundum medium dorsi in fasciam duplicem inaequalem, praesertim supra mamillas distinctam. ordinatae sunt, praeterea in dorso et in lateribus in fascias vel vittas obliquas digestae; etiam utrinque in dorso maculis nonnullis sat parvis inaequalibus nigris sparsum est dorsum. Venter cum lateribus, quae posterius maculis paucis magnis albicantibus variata sunt, olivaceo-cinerascens. *Mamillae* superiores et inferiores testaceae, mamillae mediae nigrae.

Lg. corp. paullo plus 2; lg. cephaloth. paullo plus  $\frac{1}{2}$ , lat. ej. circa  $\frac{1}{2}$  millim.; lg. abd.  $4\frac{1}{2}$ , lat. ej.  $1\frac{1}{4}$  millim.

[Singula femina a Fea ad Bhamò inventa est.]

### Tribus **RETITELARIAE.**

#### Fam. SCYTODIDAE.

##### Gen. **Seytodes** (LATR.), 1804.

65. **S. marmorata**, L. Koch, 1872, Rangoon, Palòn, Carin Chebà.

66. **S. unifasciata**, Sim., 1882, Mandalay.

##### Gen. **Dictis**, L. Koch, 1872.

67. **D. gilva**, Thor., 1887, Rangoon, Palòn, Teinzò.

68. **D. tardigrada**, Thor., 1881 (?) Palòn, Meetan, Thagatà Juvà. Mares duos et feminas duas, illos ad Palòn et Thagatà Juvà,

has ad Palò et Meetan inventas vidi, quos hujus speciei credo; fusco-testacei sunt et cephalothoracem linea media nigra notatum et praeterea 4-6 lineis fasciisve longitudinalibus nigris ornatum habent, et abdomen (saltem in feminis) evidentissime transversim et minus aequaliter nigro-fasciatum. *Mares* a *D. gilva*, ♂, pedibus brevioribus et *femoribus muticis* (non dentatis) facile dignosci possunt, a *D. domestica*, ♂, vero forma bulbi genitalis alia. In mare *D. gilva*, ut in aranea quam marem *D. tardigradae* judico, bulbus basi fere globoso-ovatus primum brevi spatio sensim in partem sat longam angustio rem sed sat crassam pallidam, apicem versus paullo angustatam, levissime bis sinuatam, paullo ante apicem ipsius partis tarsalis pertinentem est continuatus, quae tum in apicem angustum et acuminatum transit, hac parte acuminata parte priore multo brevior, obscura, leviter sursum curvata. In ♂ *D. domesticae* bulbus cito (subito) in partem longam tenuem paene rectam est angustatus, quae ipso apice aculeo brevi aucta est.

69. *D. domestica* (Dol.), 1839, Rangoon, Bhamò, Thagatà Juvà.

70. *D. lugubris*, Thor., 1887, Palò.

Gen. **Loxosceles**, Lowe, 1831.

71. *L. erythrocephala* (C. L. Koch) 1839, Mandalay.

Fam. PHOLCIDAE.

Gen. **Artema**, Walck., 1833.

72. *A. sisypoides* (Dol.) 1837, Rangoon, Toungoo, Malewoon.

Gen. **Smeringopus**, Sim., 1890.

73. *S. elongatus* (Vins.) 1863, Rangoon, Bhamò, Toungoo.

74. *S. Lyonii* (Blackw.) 1867, Bhamò, Toungoo.

Gen. **Pholeus** (Walck.), 1805.

75. *Ph. calligaster*, Thor., 1893, Palò.

\*\* 76. *Ph. dentifrons*, n., *cephalothorace luteo-testaceo*, nota longitudinali  $\wedge$  - formi in parte thoracica praedito, parte cephalica in ♂ multo elevata et fasciculo pilorum longiorum procurvorum ornata, in ♀ non multo elevata, area oculorum in ♂ dente procurvo, in ♀ denticulo minuto, armata; sterno nigricanti, dense testaceo-punctato et in utroque margine maculis paucis testaceis notato; pedibus flavo-testaceis, patellis, basi et apice tibiaram cum basi metatarsorum anguste nigris; abdomine longo et angusto, subcylindrato, apice postico truncato et supra in angulum plus minus distinctum elevato: ad colorem cinerascens vel sub-testaceo, maculis nonnullis parvis nigris consperso. — ♂ ♀ ad. Long. circa 6-6 $\frac{1}{2}$  millim.

FEMINA. — *Cephalothorax* parum longior quam latior, parte cephalica sub-transversa, clypeo longitudinem seriei oculorum anticorum altitudine aequante. *Oculi* antici parvi, paene contingentes inter se; laterales antici, reliquis oculis paullo majores, spatio diametro sua paullo majore a mediis anticis remoti sunt: oculi 4 antici lineam rectam designant. *Palporum* pars tarsalis partem tibialem longitudine aequat, apicem sub-obtusum versus sensim angustata. *Pedes* longissimi, gracillimi. *Abdomen* circa 3: plo - 4: plo longius quam latius, paene cylindratum, postice sat late truncatum, apice supra plus minus evidenter in angulum erectum elevato. *Vulva* ex elevatione forti transversa constat, cujus apex laminam transversam fuscam sub-triangularam vel sub-lunatam, circa 4: plo latiore quam longiorem format: apices ejus (postici) macula vel tuberculo parvo nigro notati sunt.

*Color*. — *Cephalothorax* luteo-testaceus, nota  $\wedge$  - formi nigra ab impressione cephalica transversa infuscata ad declivitatem posticam pertinente ornatus; facies cum *mandibulis* nigricans. *Sternum* nigricans, dense testaceo-punctatum et in utroque margine maculis 4 majoribus sub-transversis testaceis notatum. *Palpi* nigricantes vel sub-testacei. *Pedes* flavo-testacei, patellis, basi et apice tibiaram cum basi metatarsorum anguste nigris. *Abdomen* sub-testaceum vel cinerascens, punctis nonnullis nigris conspersum, quae ad partem ordines duos longitudinales inaequales secundum dorsum formant.

MAS. — *Cephalothoracis* pars cephalica alte elevata est, clypeo altissimo, reclinato; postice fortiter declivis est haec pars, et in dorso fasciculo pilorum longiorum procurvorum, tuberculis minutis obscuris insistentium, ornata; inter oculos dente procurvo et obtuso armata est. *Oculi* praeterea fere ut in femina. *Mandibulae* ad basin binis dentibus inaequalibus obtusis, prope apicem vero dente singulo obtusissimo nigro armatae sunt. *Palpi* crassissimi. Pars eorum trochanteralis basi supra in ramulum crassum foras directum producta est, quod apice aculeo sive ungui continuatur; pars femoralis, apicem versus sensim non parum incrassata, longior quam latior est; pars patellaris brevissima, praesertim subter, ideoque, a latere visa, quasi cunei-formis; pars tibialis ovata, praesertim supra valde convexa, parte femorali non parum longior et crassior et, ut ea, pallide flava; pars tarsalis obscurior, sat brevis et obliqua est, exterius in procursum longum obscurum porrectum producta, qui apice latus est, basi bifidus, apicibus latissimus, nigro-fuscus. Bulbus pallidus magis subter procursum latum nigro-fuscum valde inaequaliter bifidum ostendit, cujus apices obtusi sunt, praesertim inferior latissimus. *Abdominis* forma fere ut in femina diximus. Ad colorem *sterni*, *pedum* et *abdominis* vix a femina differt mas, eà modo paullo minor.

♀. — Lg. corp.  $6\frac{1}{2}$ ; lg. et lat. cephaloth. circa  $1\frac{3}{4}$ , lat. clypei circa  $\frac{3}{4}$ ; lg. abd. 4, lat. ej. circa  $1\frac{1}{2}$  millim. Ped. I 24? II  $23\frac{1}{2}$ , III  $16\frac{1}{2}$ , IV paene 24 millim.

Singulum exemplum utriusque sexus ad Bhamò a Fea inventum est.

Gen. **Spermophora**, HENTZ, 1841.

\*\* 77. **S. maculata** n., *cephalothorace luteo-testaceo, parte cephalica cum clypeo et fascia media longitudinali partis thoracicae postice in maculam dilatata nigricantibus; sterno nigro, pedibus testaceis, annulis paucis angustissimis nigricantibus; abdomine sub-globoso, sub-olivaceo-luteo, maculis nonnullis nigris sparso, quarum paucae antice in dorso series longitudinales formant, postice in dorso vittam vel vittas recurvas; lateribus nigro-maculatis quoque.* — ♀ ad. Long. circa  $1\frac{1}{2}$  millim.

FEMINA. — *Cephalothorax* aequae fere longus ac latus, parte cephalica parum elevata, inter oculos medios posticos impressa. *Oculi* sex, aream saltem duplo latiore quam longiorem occupantes; in duas turmas triangulas dispositi sunt, terni utriusque lateris spatiis parvis separati, fere aequali magnitudine (vel laterales antici reliquis majores); oculi 4 postici lineam recurvam formant, oculi medii postici cum oculis duobus anticis aream circa aequae longam ac latam antice; duo antici spatio oculi diametro plus duplo majore separati sunt, medii postici modo spatio singuli oculi diametrum aequante separati. *Sternum* nitidissimum, aequae latum ac longum, postice sat late truncatum. *Pedes* longi, omnium gracillimi, femoribus versus basin paullo incrassatis. *Abdomen* sub-globosum; venter in medio quasi in bullam transversam, antice rotundato-truncatam, apice breviter acuminatam inflatus est. *Mamillae* brevissimae.

*Color*. — *Cephalothorax* luteo-testaceus, parte cephalica cum clypeo nigricantes, fascia vel linea longitudinali media partis thoracicae postice dilatata nigricante quoque. *Sternum* nigrum. *Mandibulae* sub-fuscae. *Palpi* saltem ad partem infuscati. *Pedes* testacei, annulis paucissimis angustissimis nigris vel fuscis cineti: singulo annulo ad apicem femorum, singulo in patellis, binis in tibiis, prope apicem et basin earum sitis. *Abdomen* sub-olivaceo-testaceum, maculis nigris pictum, quarum paucae secundum medium dorsi in duas series longitudinales dispositae sunt, ultimae in vittam vel vittas recurvas binae unitae: supra an unam vel tres maculas albicantes video, seriem mediam longitudinalem formantes. Latera abdominis aliis maculis nigris conspersa sunt; bulla illa ventris maculam transversam maximam nigro-marginatam format. *Mamillae* nigricantes.

Lg. corp.  $1\frac{1}{2}$ ; lg. et. lat. cephaloth. paullo plus  $\frac{1}{2}$ ; lg. abd. I, lat. ej. paene 1 millim. Ped. I (sine tarso) circa  $8\frac{1}{2}$ , II (sine tarso) circa  $7\frac{1}{2}$ , III (cum tarso) circa 5 millim.; IV?

Feminam singulam mutilatam in Birmania (nescio an ad Bhamò) cepit Clar. Fea.

Gen. **Belisana** (1), n.

*Cephalothorax* sat humilis, vix longior quam latior, antice fortiter angustatus; clypeus proclivis, altus, longitudinem mandibularum altitudine circiter aequans.

*Oculi* sex, paene aequales, in duas turmas longe inter se remotas dispositi: tres utriusque lateris, inter se contingentes, in triangulum fere aequilaterum ordinati sunt; duo antici longius inter se sunt remoti quam duo postici (medii postici), inter quos pars cephalica a fronte visa leviter excavata est.

*Mandibulae* maris suo quaeque cornu longo, a latere exteriori mandibulae, magis versus basin ejus, exeunte praedita: quae duo cornua porrecta sunt et paene parallela, apice fortiter incurva; mandibulae saltem feminae dente forti in apice sulci mandibularis armatae, qui cum ungue forcipem fere format.

*Sternum* magnum, rotundatum, apice obtuso inter coxas 4<sup>i</sup> paris, quae longe inter se remotae sunt, pertinens.

*Pedes* omnium gracillimi, capillares.

*Abdomen* oblongum, sub-ovatum; mamillae brevissimae, non parum ante apicem ejus posticum locatae.

Typus: *B. tauricornis*, n.

\*\* 78. *B. tauricornis*, n., *gracillima, cephalothorace luteo, palpis pedibusque pallide testaceis, abdomine cinereo-luteo; palpis maris ipsa basi excepta fortibus et crassis, parte tibiali, ut videtur, deorsum producta et apice subter in dentem fortem exeunte, bulbo etiam crassiore, bullam globosam formante, quae subter in procursum apice bivul trifidum (-dentatum) exit.* — ♂ ♀ ad. Long. circa 1 1/2 millim.

Lg. corp. 1 1/2; lg. cephaloth. circa 1 millim.; ped. 1 9 millim. longi (?)

Exempla paucissima ad Bhamò collegit Fea; quum valde mutilata sint, pleniorum hujus speciei descriptionem dare nequeo.

(1) Nom. propr. mythol.

Gen. **Althepus** <sup>(1)</sup>, n.

*Cephalothorax* sat humilis, fere quadrato-circulatus, sulco centrali forti, parte cephalica non elevata.

*Oculi* sex, sat magni, medii antichi tamen reliquis majores, oblongi, contingentes inter se; oculi duo postici spatio eorum diametro plus triplo majore separati, cum lateralibus anticis, ut hi cum mediis anticis, paene contingentes; series oculorum anteriorum recta est.

*Sternum* ovatum, postice truncatum, non inter coxas posticas pertinens.

*Mandibulae* altitudinem clypei longitudine aequant.

*Maxillae* duplo longiores quam latiores, aequae latae apice ac basi, apice late rotundatae et obtusae, labio circa dimidio longiores.

*Labium* aequae latum ac longum, apice late truncatum.

*Pedes* longi et graciles, tarsi gracillimis, curvatis, dense annulatis. Unguiculi tarsorum terni, superiores dense pectinati, inferior ut videtur muticus.

*Abdomen* pulchre ovatum, apice postico sub-acuminato et ibi mamillis sex praeditum, quarum saltem inferiores (reliquis longiores) et superiores bi-articulatae sunt, longiores; art. 1.<sup>o</sup> sat longo, art. 2.<sup>o</sup> brevi, et, praesertim in mamillis posterioribus, fusulis crebris praedito.

Typus: *A. pictus*, n.

Hoc genus *Hedypsilo*, Sim. affine certe est, sed oculis duobus posticis latissime separatis, mamillis sat longis, cet., distinguendum.

\*\* 79. **A. pictus**, n., *cephalothorace testaceo, parte cephalica et limbo laterali partis thoracicae nigro-fuscis; sterno testaceo, corona macularum transversarum nigricantium cincto; palpis et pedibus sub-testaceis, nigricanti-annulatis, femoribus basi late sub-olivaceo-testaceis, apice annulis 2-3 nigricantibus cinctis, tibiis pallidis,*

(1) Nom. propr. mythol.

*annulis 4 latissimis obscuris; abdomine pallide olivaceo vel subtestaceo, villis transversis nigris plus minus recurvis et antè in dorso in medio abruptis, in lateribus postice vero maculas majores formantibus ornato. — ♂ ♀ ad. Long. circa 3<sup>3</sup>/<sub>4</sub> millim.*

FEMINA. — *Cephalothorax* vix longior quam latior, in lateribus posterius parum rotundatus, postice in medio late truncatus, utrinque antice cito et fortiter rotundato-angustatus, impressio-nibus cephalicis et praesertim sulco centrali fortibus; pars cephalica non elevata, sed paullo humilior quam pars thoracica; clypeus satis altus, valde proclivis, altitudine longitudinem seriei oculorum anticorum paene aequans. *Oculi* sex, medii antici magni, oblongi, paralleli et reliquis oculis non parum majores, inter se contingentes; laterales antici cum mediis anticis et cum oculis duobus posticis paene contingentes; oculi duo postici spatio diametro sua plus triplo majore separati sunt et oculis laterali-bus anticis parum minores: series quam formant aequè longa est ac series oculorum 4 anticorum: linea hos oculos subter tangens recta est. *Sternum* ovatum, postice angustius truncatum, utrinque, ad coxas, corona tuberculorum praeditum. *Palporum* pars tarsalis apicem versus sensim angustata est et hic setis longis fortibus obsita; unguis vix ullus. *Pedes* longi quidem et graciles, sed non omnium longissimi nec gracillimi; unguiculi superiores dense pectinati sunt, dentibus obliquis et apice unguis longo; unguiculus inferior, subito et fortiter deorsum curvatus, muticus est visus. *Abdomen* non parum longius quam latius, pulchre ovatum et posterius sensim angustatum et acuminatum; mamillae longae, praesertim inferiores, quae superioribus mamillis paullo longiores sunt et, ut ii, ex articulis binis compositae, quarum 1<sup>a</sup> non parum longior est quam 2<sup>a</sup>, qui praesertim in mamillis inferioribus fusulis multis praeditus est. In mamillis mediis seriem singulam setarum nigrarum (fusulorum?) video.

*Color.* — *Cephalothorax* testaceus, parte cephalica triangula nigro-fusca, cum limbo laterali partis thoracicae et maculis binis minutis (linea longitudinali inaequali cum parte cephalica conjun-ctis) in medio partis thoracicae nigro-fuscis quoque, clypeo maculis duabus (vel quattuor) fuscis notato. *Sternum* testaceum,



corona macularum transversarum nigricantium circumdatum. *Mandibulae* fusco-testaceae. *Palpi* sub-testacei, praesertim in dimidio apicali annulis parvis nigris cincti. *Pedes* basi late sub-olivaceo-testacei, femoribus basi anguste nigricantibus, apice vero late pallidioribus et hic annulis binis vel ternis nigricantibus cinctis; patellis ad partem infuscatis quoque, tibiis pallidis, annulis 4 latissimis obscuris; metatarsis et tarsis obscure testaceis, vix evidenter annulatis. *Abdomen* pallide olivaceum vel sub-testaceum, supra vittis transversis densis nigris saltem anterieus in dorso recurvis vel retro fractis et in medio abruptis ornatum, in lateribus postice, ut in dorso postice, maculis paucis magnis nigris notatum. Venter pallidus fascia media inaequali obscura est notatus, quae antice et postice transversim dilatata est et postice, ante mamillas, macula oblonga majore sub-ovata nigricanti continuatur. *Mamillae* ad partem pallidae, ad partem (praesertim inferiores) nigricantes.

*Maris palpi* valde notabiles, sat simplices, non multo incrassati. Pars femoralis sat longa, tenuis, cylindrata et pallida est, pars patellaris eâ paullo crassior sed brevissima, parum longior quam latior; pars tibialis crassa, inflata, oblongo-ovata, pallida; pars tarsalis eâ multo brevior, nigricans, antice in procursum rectum pilosum producta, extus vero in procursum procurvum brevior nigrum exiens; bulbus, ut pars tarsalis sat parvus, ei subter affixus est, sub-globosus, pallidus, formâ vesicae, quae postice in uncum anteriora versus curvatum exit. *Sternum* maris cyaneum colorem sentit.

♂ — Lg. corp. circa  $3\frac{3}{4}$ , lg. et lat. cephaloth. circa  $1\frac{1}{2}$ ; lg. abd.  $2\frac{1}{2}$ , lat. ej.  $1\frac{1}{2}$  millim. Ped. I circa  $19\frac{1}{2}$ , II  $14\frac{1}{2}$ , III circa 10, IV 16 millim.

Marem et feminam supra descriptos in montibus Carin Chebâ, 600-800 mètr. supra mare, cepit Fea; aliam feminam, pedibus plerisque carentem, in speluncis illis "Farm Caves" dictis reperit.

## Fam. PACULLIDAE.

Gen. **Paculla**, SIM., 1887.(= *Phaedima*, THOR., olim.)

\*\* 80. **P. Birmanica**, n., *cephalothorace plus dimidio longiore quam latiore, inermi, parte cephalica supra granulis in series longitudinales digestis conspersa, parte thoracica dense et subtiliter granulosa; palpis et pedibus sub-ferrugineis, saltem illis apice nigris; abdomine fere dimidio longiore quam latiore, ovato-elliptico, scuto ejus dorsuali oblongo, inaequali, nigro-piceo ipso abdomine circa dimidio brevior; abdomine inter scuta dorsuale et ventrale cinerascenti-testaceo et sulcis longitudinalibus piceo-granulosis cincto.* — ♀ ad. Long. circa  $7\frac{1}{2}$  millim.

FEMINA. — *P. (Phaedimæ) armatae*, Thor. (1) valde affinis, sed paullo major, et defectu spinarum partis thoracicae praesertim facile dignoscenda. — *Cephalothorax* plus dimidio longior quam latior, paullo brevior quam tibia cum patella 4<sup>i</sup> paris, tibiam cum patella 4<sup>i</sup> paris longitudine aequans, ad formam ut in illa specie sed inermis, parte cephalica alta, dorso ejus postice sat praerupte declivi, fortiter arcuato-convexo; antice parum proclivis, fere recta est pars cephalica, ipso dorso partis thoracicae duplo longior. Impressiones cephalicae rectae et fere ad rectos angulos postice coeuntes; ab iis sulcus medius profundus secundum totum dorsum partis thoracicae usque ad declivitatem posticam ductus est. Clypeus latus, parum proclivis, paene directus, dente supra-marginali carens, latitudine et altitudine longitudinem seriei oculorum anticae fere aequans, convexus, in medio laevis, praeterea, ut reliqua pars cephalica granulis sat parvis densius conspersus, his granulis supra in parte cephalica in series longitudinales digestis; pars thoracica dense et subtiliter granuloso-punctata est, margines cephalothoracis laeves. *Oculi* medii antici vix longius inter se quam a lateralibus anticis

(1) Studi sui Ragni Malesi e Papuani. IV. Ragni dell'Indomalesia, *ect.*, 1, p. 313, in Ann. del Museo Civico di Genova, XXVIII (Ser. 2<sup>a</sup>, VIII).

distant, spatio oculi diametrum aequante separati; oculi bini laterales aequali magnitudine sunt, spatio parvo sed evidenti separati. *Sternum* fere dimidio longius quam latius, sat dense granulosum, macula sat parva oblonga laevi in medio, postice sat late rotundato-truncatum. *Mandibulae* dimidio longiores quam latiores, paullo crassiores quam basis femorum 1<sup>i</sup> paris, nitidae, intus paullo impressae et transversim leviter striatae, praeterea, ut *maxillae* et *labium*, ad formam ut in *P. armata*. Unguis brevissimus. *Palpi* et *pedes* formâ in hoc genere ordinariâ, femoribus modo paullo et leviter granulosis. *Abdomen* paene dimidio longius quam latius, elliptico-ovatum, scuto dorsuali medio piceo-fusco praeditum, quod abdominis formâ paene est, sed eo saltem dimidio brevius et angustius, costis inaequalibus transversis obliquis fere tribus utrinque scabrum, et praeterea granulis sat densis inaequale. Scutum ventrale, quod paene aequè latum et longum est, margine postico duplo longius a mamillis quam a petiolo distat, antice in medio in tubulum brevem petiolarem productum; praeterea antice ut in lateribus rotundatum est, postice rotundato-truncatum, in tubulo illo et postice transversim striatum, in medio impresso-punctatum; utrinque paullo pone medium *spiraculum* magnum oblongum ostendit. *Mamillae* parvae scuto sive tubo duriusculo antice multo latiore quam postice circumdatae sunt.

*Color.* — *Cephalothorax* cum *sterno* et *partibus oris* niger vel nigro-piceus. *Palpi* picei, parte femorali luteo-rufa, tarsali nigra. *Pedes* picei, apice magis nigri, partibus patellari et tibiali ferrugineo-vel piceo-rufis. Scutum *abdominis* dorsuale nigro-piceum est, scutum ventrale et tubulus analis picea: inter scuta abdomen cinereo-luteum videtur, ad longitudinem sulcis multis densis cinctum, qui granulis parvis piceis in seriem densam singulam vel duplicem ordinatis separatae sunt. *Mamillae* luteae.

Lg. corp. 7 1/2; lg. cephaloth. 4, lat. ej. 2 1/2, lat. clypei 2; lg. abd. 4 1/2, lat. ej. 3 1/4; lg. scuti dorsualis abdominis 3 millim. Ped. I 11 1/2, II 10 1/2, III 8 1/2, IV 11; pat. + tib. IV 3 1/2 millim.

Feminam singulam vidi, in montibus Carin Chebâ sive Bia-pò inventam.

## Fam. THERIDIIDAE.

## Subfam. THERIDIINAE.

Gen. **Ariannes**, ThOR., 1869.\*\* 81. **A. flagellum** (Dol.), 1857. Palòn, Carin Chebà sive Bia-pò.Gen. **Rhomphaea**, L. Koch, 1872.

\*\* 82. **Rh. aculeata**, n., *cephalothorace duplo longiore quam latiore, testaceo-fusco, secundum medium paullo clariore; palpis simplicissimis, pedibus filiformibus, testaceis; abdomine altissimo, pallide virescenti, e basi (ventre) brevi in triangulum paene erectum, paullo procurvum, apice aculeo longiore armatum elevato.* — ♀ ad. (?) Long. circa  $2\frac{1}{2}$  millim.

FEMINA. — *Cephalothorax* paullo plus duplo longior quam latior, antè sensim paullo angustatus, in lateribus praeterea modo leviter rotundatus; altitudo clypei modice proclivis longitudinaline areae oculorum mediorum paullo major est, longitudine mandibularum non parum minor, sub oculis leviter transversim impressus. Area oculorum mediorum evidenter latior est quam longior, et antice paullulo latior quam postice; oculi bini laterales, qui paene contingentes sunt inter se, reliquis oculis paullo majores videntur. Spatium inter oculos medios posticos multo majus est quam spatia, quibus hi oculi a lateralibus posticis distant, et quae horum diametrum vix aequant, saltem non superant. *Sternum* duplo longius quam latius, apice longius acuminato inter coxas posticas sat late disjunctas pertinens. *Palpi* simplicissimi, parte tarsali apice acuminata. *Pedes* longi, gracillimi, valde inaequales, ita: I, IV, (vel IV, I), II, III, longitudine se excipientes; femora saltem 1.<sup>i</sup> et 4.<sup>i</sup> parium tibià et metatarso non parum longiores sunt, metatarsi tibià non multo breviores. *Abdomen* breve, in triangulum altissimum paullo procurvum elevatum, quod apice aculeo sat longo paullo recurvo armatus est; venter brevissimus.

*Color.* — *Cephalothorax* testaceo-fuscus, limbo late paullo infuscato; clypeus fascias duas longitudinales parallelas nigricantes ostendit. *Sternum* cum *maxillis*, *labio* et *palpis* testaceum; *mandibulae* obscurius testaceae. *Pedes* testacei. *Abdomen* pallide vel argenteo-virescens, aculeo apicali testaceo. *Mamillae* quoque testaceae.

Lg. corp. circa  $2\frac{1}{2}$  millim.; lg. cephaloth.  $1\frac{1}{4}$ , lat. ej. circa  $\frac{5}{8}$ ; lg. abd. (ventris)  $1\frac{1}{4}$ , lat. ej.  $1\frac{1}{2}$ , alt. ej.  $3\frac{1}{2}$  millim. Ped. I  $7\frac{1}{2}$ , II 5, III  $3\frac{1}{2}$ , IV circa  $7\frac{1}{2}$  millim.

Feminam singulam ad Bhamò cepit Fea.

\*\* 83. **Rh. irrorata**, n., *cephalothorace fusco, cruce albicanti secundum medium notato; palporum parte tibiali subter sensim fortiter dilatata; pedibus in fundo pallidis sed maculis et punctis rufescentibus et fuscis densissime irroratis; abdomine rufescenti, maculis nigris aliisque densis sub-argenteis variato, supra mamillas, quae non longe a petiolo locum tenent, in caudam retro et sursum directam producta.* — ♀ ad. Long. circa  $3\frac{1}{2}$  millim.

FEMINA. — *Cephalothorax* circa duplo longior quam latior, in lateribus elevato-marginatus, mox pone oculos et sub iis leviter transversim impressus; clypeus sub hac impressione directus est, dein valde proclivis et longitudine areae oculorum mediorum non parum altior; paullo pone medium aliam impressionem transversam longam et fortem ostendit cephalothorax, pone eam ad longitudinem sat fortiter convexus. *Oculi* medii, lateralibus non parum majores, in aream magnam latiore quam longiorem et paullulo latiore postice quam antice sunt dispositi; bini laterales contingentes sunt inter se et a mediis suae seriei parum sejunctae; series oculorum antica recurva est, series postica procurva. *Sternum* magnum, longius quam latius, sub-ovatum, apice postico obtuso inter coxas 4.<sup>1</sup> paris spatio maximo separatas pertinens. *Mandibulae* parvae, clypei altitudinem vix longitudine superantes, deorsum et anteriora versus directae. *Maxillae* labio transversa et antice sub-truncato plus duplo longiores. *Palpi* graciles, non longi; pars femoralis cylindrata est, pars patellaris brevis, a basi ad apicem sensim paullo dilatata; pars tibialis

parte patellari paullo longior est, a basi ad apicem subter sensim fortiter dilatata, apice abrupte late et oblique truncata; pars tarsalis, apice partis tibialis etiam basi multo angustior, a basi ad apicem sensim angustato-acuminata, apici huius partis superius affixa est eaque non parum longior. *Pedes* gracillimi, 4.<sup>i</sup> et 4.<sup>i</sup> parium, praesertim illi, longissimi et reliquis pedibus multo longiores. *Abdomen* circa duplo longius quam latius, posteriora versus angustatum et supra mamillas in caudam brevioram et paullo tuberculatam, apice sub-truncatam (an in nostro exemplo apice abruptam?), retro et sursum productum. *Mamillae* longe ante apicem posticum abdominis, versus petiolum, locatae sunt, vix longitudine cephalothoracis ab eo remotae.

*Color.* — *Cephalothorax* fuscus, linea vel fascia longitudinali pallida, quae impressione transversa partis thoracicae decussatur, ornatus. *Palpi* pallide testacei, maculis magnis fuscis notati. *Pedes* pallidi, maculis et punctis fuscis et rufescentibus densissime variati. *Abdomen* rufo-fuscum, paullo nigro-maculatum et maculis confertis sub-argenteis dense conspersum. *Mamillae* fusco-testaceae.

Lg. corp. circa  $3\frac{3}{4}$ ; lg. cephaloth.  $1\frac{1}{4}$ , lat. ej. circa  $\frac{5}{8}$ ; lg. abd.  $2\frac{1}{2}$ , lat. ej. circa  $1\frac{1}{4}$  millim. Femora 1.<sup>i</sup> paris paene  $4\frac{1}{2}$  millim. longa.

Exemplum singulum valde mutilatum ad Bhamò captum lustravi.

(Gen. **Argyrodes**, SIM., 1864.

\*\* 81. **A. cylindratus**, n., *cephalothorace fere duplo longiore quam latiore, sordide sub-ferrugineo-fusco, pedibus brevibus et gracilibus, sub-testaceis, saltem apice tiliarum et patellarum anguste infuscato: abdomine longo, fere cylindrato, pone mamillas longe retro producto, utrinque fere in medio late et leviter sinuato-angustato, dein utrinque paullo incrassato, apice breviter sub-conico: ad colorem fuligineo-fusco, maculis parvis argenteis consperso, quae in utroque latere plagas tres formant, secundum dorsum vero in series duas longitudinales sunt ordinatae.* — ♀ ad. (?) Long. circa  $5\frac{1}{2}$  millim.

Species formâ abdominis in hoc genere insolitâ notabilis. — *Cephalothorax* fere duplo longior quam lator, nitidus, parte cephalica, quae sulco profundo transverso procurvo postice limitatur, anteriora versus non parum acclivi, parte thoracica in medio fovea sat forti praedita, a latere visa satis alta et convexa; clypeus directus, convexus: altitudo ejus longitudinem areae oculorum mediorum parum major est et longitudine mandibularum saltem duplo minor. *Oculi* sat parvi; medii antici reliquis non parum majores. Series oculorum postica leviter deorsum curvata est; antica paene recta, parum recurva; medii oculi in quadratum dispositi sunt, bini laterales inter se contingentes: medii postici, spatio oculi diametrum non parum superante separati, inter se paullo longius quam a lateralibus posticis distant. *Sternum* circa duplo longius quam latius, sub-triangulum, ad margines laterales tuberculatum, apice postico sub-acuminato inter coxas 4.<sup>i</sup> paris satis disjunctas pertinens. *Mandibulae* duplo longiores quam latiores, femoribus anticis parum crassiores. *Maxillae* duplo longiores quam latiores, parallelae vel potius paullo divaricantes, apice truncatae: labio saltem duplo longiores sunt. *Pedes* breves, graciles. *Abdomen* longum, paene cylindratum, pone mamillas longe retro productum; basi fortius, in lateribus antice levius rotundatum est, dein, utrinque in medio, leviter et late sinuato-angustatum, dein utrinque paullo incrassatum, apice conum brevem obtusum formante. *Mamillae* fere 4.plo longius ab apice abdominis quam a petiolo remotae.

*Color.* — *Cephalothorax* sordide sub-ferrugineo-fuscus. *Sternum*, *maxillae* et *labium* sordide testaceo-fusca. *Mandibulae* ut *palpi* magis testacei, horum apice late infuscato. *Pedes* testacei, apice tibiarum et patellarum anguste infuscato, tarsi saltem 1.<sup>i</sup> paris ad magnam partem infuscatis quoque. *Abdomen* fuligineo-fuscum, plagis tribus e maculis parvis angulosis argenteis formatis in utroque latera ornatum, quae plagae vittis binis obliquis fuligineis sunt separatae, altera in medio longitudinis lateris sita, deorsum et anteriora versus directa, altera brevi, formâ fere maculae obscurae, versus apicem lateris locata; maculae parvae angulosae argenteae praeterea series duas longitudinales formant, quae

fasciam fuliginream secundum totum dorsum extensam, apicem versus angustato-acuminatam, limitant. *Mamillae* fuligineae.

Lg. corp.  $5\frac{1}{2}$ ; lg. cephaloth.  $1\frac{2}{3}$ ; lg. abd.  $4\frac{1}{4}$ , lat. ej. 2 millim. Ped. I 4, II saltem 3, III paullo plus 2, IV paene 4 millim.

Feminam singulam ad Palòn invenit Fea.

85. **A. flavescens**, Cambr., 1880. Palòn, Prome, Bhamò, Malewoon.

86. **A. fissifrons**, Cambr., 1869. Tharrawaddy, Bhamò.

87. **A. xiphias**, Thor., 1887. Palòn, Bhamò.

Gen. **Enoplognatha**, Pav., 1880.

\*\* 88. **E. robusta**, n., obscure ferruginea, cephalothorace et sterno anguste nigro-marginatis, mandibulis longis et fortibus et subter spinis binis acuminatis armatis, quae basi incrassatae sed muticae sunt; dorso abdominis area sub-foliata e maculis et vitta postica nigris constante, quae serie dupla macularum et punctorum albicantium divisa est. — ♂ ad. Long. circa 7 millim.

MAS. — Mari *E. mandibularis* (Luc.) hic mas simillimus est, sed major et obscurior. — *Cephalothorax* et *sternum* ad formam ut in illo. *Oculi* medii aream paene quadratam, parum latiore postice quam antice occupant; medii postici, inter se spatio eorum diametrum paullo superanti disjuncti, a lateralibus posticis evidenter longius quam inter se distant. Altitudo clypei longitudinem areae oculorum mediorum fere aequat, non superat. *Mandibulae* longae et fortes, deorsum et anteriora versus directae, desuper visae primum spatio sat brevi paene contingentes sunt inter se vel potius spatio angustissimo ovato separatae, dein usque ad apicem sensim paullo angustatae, supra laeves, modo ad ipsam basin tuberculo humili praeditae et prope apicem transversim paullo striatae: subter spinis binis fortibus acuminatis (sed non, ut in *E. mandibulari*, ♂, bi-dentatis) armatae sunt, quarum posterior, versus basin mandibulae posita, deorsum



et anteriora versus directa, basi sat altae et forti imposita est et paullo deorsum curvata, anterior, in medio inter spinam illam et apicem mandibulae locata, ea quoque basi sat altae sed cylindratae est imposita, brevior et magis deorsum directa. *Unquis* longissimus, totam mandibulam longitudine paene aequans, sat fortiter et aequaliter curvatus. *Maxillae* duplo longiores quam latiores, oblique transversim impressae, basi in labium paullo inclinatae, dein paene parallelae. *Labium* paullo latius quam longius, maxillis plus duplo brevius, apicem sat late rotundato-truncatum versus sensim angustatum. *Palporum* pars femoralis deorsum curvata partes patellarem et tibialem conjunctas longitudine aequat; pars patellaris saltem duplo longior est quam latior, pars tibialis, eà paullo longior, a basi ad apicem sensim non parum incrassata est, duplo longior quam latior apice; pars tarsalis parte tibiali paene duplo brevior et apice ejus paullo latior est, sub-ovata; bulbus a latere exteriore visus ante medium dentes duos acuminatos anteriora versus directos ostendit, quorum anterior pallidus est, alter, paullulo pone eum locatus, ad partem niger: supra dentem priorem (anteriorem) ipse margo partis tarsalis procursum parvum obtusum sive tuberculum gerit. *Pedes* 1.<sup>i</sup> paris reliquis longiores, femoribus fortibus et clavatis.

*Color.* — *Cephalothorax*, *sternum*, *partes oris*, *palpi* et *pedes* obscure ferruginea, margine cephalothoracis et sterni anguste nigro, apice metatarsorum quoque anguste nigro. Dorsum *abdominis* area foliiformi minus distincta occupatur, quae utrinque serie macularum majorum nigricantium, postice vero vitta inaequali nigricanti limitari videtur; secundum medium maculis et punctis albicantibus conspersa est haec area, quae fasciam longitudinalem mediam nigricantem sub-cruci-formem (?) anterieus limitant.

Lg. corp. circa 7 millim.; lg. cephaloth.  $3\frac{1}{2}$ , lat. ej.  $2\frac{1}{2}$ , lat. clypei circa  $1\frac{3}{4}$ ; lg. abd. 4, lat. ej.  $2\frac{1}{2}$  millim.; lg. mandib. paene  $2\frac{1}{2}$  millim. Ped. I paene 12, II 9, III 7, IV  $8\frac{1}{2}$ ; pat. + tib. IV  $3\frac{1}{2}$  millim.

Mas singulus ad Yadò est inventus.

Gen. **Episinopsis**, SIM., 1894.\* 89. **E. rhomboidalis**, Sim., 1895.

Cel. Simon exemplum hujus speciei ex Singapore descripsit. Ad colorem satis variat: feminae ejus paucissimae ad Palòn, Meetan et Mooleyit a Fea inventae sunt.

Gen. **Janulus**, THOR., 1861.

\*\* 90. **J. marginatus**, n., *cephalothorace testaceo, fascia supra-marginali angusta et anterieus late abrupta nigra utrinque cincto; palpis testaceis, clava fusca, pedibus testaceis, ad partem annulis paucis nigris ornatis; abdomine obscure rufescenti-fusco, utrinque in dorso anterieus fascia incurva flava cincto et in apice dorsi macula parva flava notato.* — ♂ ad. Long.  $1\frac{1}{3}$  millim.

MAS. — *Oculi* postici in seriem fortiter recurvam, antici in seriem fortiter sursum curvatam, medii in quadratum dispositi; medii postici duplo longius inter se quam a lateralibus posticis remoti sunt, spatio oculi diametrum fere aequanti separati. *Oculi* bini laterales contingentes inter se. *Tubercula* duo supra oculos medios anticos sita obtusa, oculis similia. *Palpi* longi et graciles. *Pedes* sat longi et graciles. *Abdomen* sub-rhomboide, paulo depressum, parum longius quam latus, basi breviter truncatum, lateribus dein primum, a basi paene usque ad medium longitudinalis, divaricantibus et paene rectis, dorso dein, ab angulis lateralibus leviter tuberculiformibus usque ad apicem posticum, sensim angustato-acuminatum.

*Color.* — *Cephalothorax* testaceus, fascia angusta sub-marginali nigra, quae apud oculos laterales posticos initium capit, et pone eos late abrupta est, utrinque cinctus. *Oculi* cum tuberculis illis duobus paulo supra oculos medios anticos situs nigri. *Sternum* et *partes oris* flavo-testacea. *Palpi* ejusdem coloris, clava fusca. *Pedes* testacei, plerique nigro-annulati: in pedibus plerisque apex femorum, patellae, basis et apex tiliarum nigri sunt, tarsi ad magnam partem obscuri; pedes 3.<sup>ii</sup> paris vero toti testacei. *Ab-*

*domen* obscure rufescenti-fuscum; margo dorsi ejus utrinque, anterieus, fascia satis angusta incurva flava, a basi ad  $\frac{3}{4}$  longitudinis pertinente cingitur, et macula parva flava in ipso apice notatum est. Venter apice maculam majorem pallidam ostendit. *Mamillae* pallidae.

Lg. corp. circa  $1\frac{1}{3}$  millim., lg. cephaloth. circa  $\frac{1}{2}$ , lat. ej. paene  $\frac{1}{2}$ ; lg. abd. circa  $\frac{3}{4}$ , lat. ej. paullo plus  $\frac{1}{2}$  millim.

Singulum exemplum mutilatum vidi, ad Bhamò captum.

\*\* 91. *J. luteo-limbatus*, n., *cephalothorace rufescenti-fusco*, in lateribus sat late luteo-limbato, pedibus plerisque ferrugineis, basi, ut pedibus 3.<sup>ii</sup> paris totis, sub-testaceis; abdomine vix longiore quam latiore, a basi ad circa  $\frac{3}{4}$  longitudinis sensim sat fortiter dilatato, dein etiam citius sensim angustato, supra nigro et sub-olivaceo, in lateribus et postice sub-olivaceo-luteo-limbato, inter angulos laterales vitta transversa albicanti ornato, quae in medio sat lata est et hic maculis duabus parvis nigris notata et postice incisa. — ♀ ad. Long. circa  $3\frac{1}{4}$  millim.

FEMINA. — *Cephalothorax* paullo longior quam latior, antice satis angustus, altitudine clypei longitudine areae oculorum mediorum vix major, longitudine mandibularum non parum minor. Series *oculorum* postica recurva est, antica sursum curvata; area mediorum paullo longior quam latior, paullo latior antice quam postice. Medii antici reliquis oculis majores, spatio eorum diametrum aequante separati; tubercula duo supra eos obtusa, sat parva. Oculi medii postici spatio diametro eorum evidenter minore separati sunt, a lateralibus posticis spatio etiam minore remoti. Bini laterales inter se sub-contingentes sunt. *Pedes* ita: I, II, IV, III, longitudine se excipiunt, sat graciles, metatarsis tarsisque praesertim gracilibus. *Abdomen* vix latius quam longius, sub-depressum, antice anguste rotundatum, lateribus leviter rotundatis usque ad circa  $\frac{3}{4}$  longitudinis sensim sat fortiter dilatatum, lateribus dein leviter rotundatis posteriora versus sensim citius angustatum, *mamillis* modo paullo ante apicem posticum sitis. *Vulva* ex maculis duabus minutis nigris, spatio earum diametrum vix superante separatis constat.

*Color.* — *Cephalothorax* rufescenti-fuscus, in utroque margine fascia longitudinali sat lata lutea limbatus. *Sternum* luteum, *partes oris* et *palpi* magis luteo-testacei. *Pedes* ferruginei vel ferrugineo-lutei, basi, ut pedes 3.<sup>ii</sup> paris fere toti, clariore, sub-testacei. *Abdomen* nigricans, in medio anterieus magis olivaceum, in lateribus superius et postice colore olivaceo-luteo cinctum; inter angulos ejus duos laterales extensa est vitta transversa albicans, in medio, ubi sat lata est, postice incisa, et saltem antice maculis duabus parvis nigris notata, utrinque vero satis angusta; venter nigricanti-olivaceus. *Mamillae* luteae.

Lg. corp.  $3\frac{1}{4}$ ; lg. cephaloth. 1, lat. ej. paene 1; lg. abd.  $2\frac{1}{2}$ , lat. ej.  $2\frac{1}{2}$  millim. Ped. I  $5\frac{2}{3}$ , II 3. III circa  $2\frac{1}{2}$ . IV  $4\frac{1}{2}$  millim.

Feminam singulam ad Palón invenit Fea.

\*\*92. **J. modestus**, n., *cephalothorace ferrugineo*, *pedibus ad maximam partem ejusdem coloris*, *basi cum pedibus 3.<sup>ii</sup> paris totis magis testaceis*; *abdomine triangulo*, *latiore postice quam longiore*, *postice latissime truncato*, *nigro-cinerascenti vel -fusco*, *subter subolivaceo*. — ♀ ad. (?) Long. paullo plus 3 millim.

FEMINA. — *Cephalothorax* paullo longior quam latior, fronte valde angusta. Altitudo clypei longitudinem areae oculorum mediorum vix aequat, longitudine mandibularum circa duplo minor. Series *oculorum* postica recurva, antica sursum curvata. Medii antici reliquis oculis majores; area mediorum parum longior quam latior antice, paullo latior antice quam postice. Medii postici, spatio oculi diametrum aequante separati, duplo longius inter se quam a lateralibus posticis distant. Oculi bini laterales subcontingentes inter se. Tubercula duo supra medios anticos sita obtusa quidem sunt, sed non ita parva; supra pube brevissima lutea conspersa videntur. *Pedes* valde inaequales, ita: I, IV, II, III, longitudine se excipientes, graciles, metatarsis tarsisque gracillimis. *Abdomen* satis depressum, latius quam longius, paene triangulum, basi breviter rotundatum, lateribus leviter rotundatis usque ad angulos laterales paullo retro productos sensim fortiter dilatatum, postice latissime truncatum et hic utrinque, inter

anum et angulos laterales, late et leviter sinuato-emarginatum.

*Color.* — *Cephalothorax* ferrugineus; *sternum* rufescenti-vel luteo-testaceum. *Pedes* ferruginei, basi plus minus late testacei; pedes 3.<sup>ii</sup> paris et *palpi* paene toti testacei sunt. *Abdomen* rufescenti-nigrum vel-cinerascens est, subter magis olivaceum; pictura distincta carere videtur.

Lg. corp. paullo plus 3 millim.; lg. cephaloth. paullo plus 1, lat. ej. 1; lg. abd.  $2\frac{1}{4}$ , lat. ej. postice  $3\frac{1}{2}$  millim. Ped. I saltem  $7\frac{1}{4}$ , II  $4\frac{1}{4}$ , III 3, IV paene 5 millim.

Feminam singulam, fortasse non plene adultam, ad Palòn invenit Fea.

Gen. **Lathrodectus**, WALCK., 1805.

\*\* 93. **L. elegans**, n., *nigro-piceus, abdomine nigro, anterieus in dorso vittis duabus transversis flavis fortiter recurvis vel retro fractis et versus apices sensim acuminatis ornato, quarum secunda, quae interdum brevis et triangula est, fascia longitudinali flava a medio dorso paene ad anum pertinente continuatur; declivitate dorsi antica vittis duabus transversis brevioribus angustis flavis interdum notata quoque.* — ♀ ad. Long. 9-10 millim.

FEMINA. — Ad formam omnium partium — etiam vulvae — cum *L. 13-guttato* haec species convenire videtur, sed plane alia pictura abdominis facillime distinguenda. — Impressiones cephalicae distinctissimae sunt, fovea in medio partis thoracicae transversa, lata et forti, parte cephalica sat parva et angusta, clypeo latitudine parum plus  $\frac{1}{3}$  latitudinis partis thoracicae aequante. Sub oculis clypeus rotundatus transversim fortiter est impressus et inferius fortiter convexus; altitudo ejus, longitudinem mandibularum paene aequans, longitudine areae oculorum mediorum parum major est. Series *oculorum* postica sat fortiter recurva est; series antica, eà brevior, leviter est recurva, a fronte visa recta, immo paullo deorsum curvata; oculi medii postici longius a lateralibus posticis quam inter se remoti sunt. Oculi bini laterales spatio magno, eorum diametro duplo majore, et spatia quibus medii antiqui a mediis posticis distant aequante separati

sunt. *Mandibulae* sub-cylindratae, graciles, duplo longiores quam latiores, leviter transversim striatae; unguis mandibulae brevis, basi sat crassus, praeterea gracilis et acuminatus, leviter curvatus. *Pedes* 4.<sup>ti</sup> paris reliquis pedibus fortiores, tibiis hujus paris a basi ad apicem sensim paullo incrassatis. Unguiculi tarsorum superiores inter basin et apicem longum dentibus paucis (circa 4) sunt pectinati, unguiculus inferior dentibus duobus brevibus praeditus. *Abdomen* paene globosum.

*Color.* — *Cephalothorax* totus nigro-piceus est, ut *sternum*, *palpi* et *partes oris*. *Pedes* quoque nigro-picei, metatarsis et tarsis magis piceis. *Abdomen* nigrum, supra, antice, vitta vel vittis duabus transversis recurvis flavis ornatum, quae versus extremitates angustatae et acuminatae evadunt, et quarum anterior longior et latior est quam secunda, paene totam latitudinem dorsi occupans: secunda interdum ad formam trianguli est reducta. Haec vitta vel macula fasciâ longitudinali flava continuatur, quae a medio dorsi paene ad anum extensa est, sensim paullo angustata. Praeterea in declivitate dorsi antica interdum vitta vel vittae duae transversae breves et angustae flavae conspiciuntur; in ventre paullo ante *mamillas* nigras macula vel maculae duae parvae flavae adsunt.

Lg. corp. 10; lg. cephaloth.  $4\frac{1}{4}$ , lat. ej.  $3\frac{3}{4}$ , lat. clypei  $1\frac{3}{4}$ ; lg. abd. 8, lat. ej. 7 millim. Ped. I 18, II 14, III  $10\frac{1}{2}$ , IV paullo plus 19; pat. + tib. IV  $5\frac{1}{2}$  millim.

Feminas tres a Fea in montibus Carin Chebà inventas examinavi.

Gen. **Theridium**, WALCK., 1805.

\*\* 94. **Th. (Teutana) speciosum**, n., *cephalothorace cum palpis fusco-rubro, sterno cum coxis et trochanteribus pedum omnium laete fusco-rubro, pedibus praeterea piceis, apice fuscis; abdomine ovato-globoso, nigro, dorso vittis duabus transversis sat longis et latis recurvis flavis, altera in declivitate dorsi antica, altera in medio dorso posita, ut et fascia brevior longitudinali flava pone eas, ornato, praeterea maculis duabus rotundatis flavis, in lateribus*

*postice locatis; ventre macula sat magna sub-transversa flava apud vulvam, postice, notato. — ♀ ad. Long. paene 9 millim.*

FEMINA. — *Cephalothorax* paullo longior quam patella 4. paris, fere dimidio longior quam latior, sat subtiliter rugosus; pars cephalica sat parva, impressionibus cephalicis fortibus, fovea centrali transversa et forti; impressionibus binis abbreviatis utrinque in parte thoracica praeditus, cujus margines laterales paullo incrassati sunt et granulis paucioribus sub-scabri. Clypeus dimidiam partem thoracicam latitudine non aequat; sub oculis fortiter transversim impressus est, sub hac impressione ad longitudinem et transversim convexus, et longitudine areae oculorum mediorum non parum altior sive longior, mandibulis non parum brevior. Series *oculorum* postica desuper visa paene recta est, vix recurva, a fronte visa paullo deorsum curvata; series antica a fronte visa recta est. Oculi paene eadem sunt magnitudine, sat magni, medii antiqui reliquis tamen paullulo minores, laterales bini contingentes inter se; area mediorum paullulo est transversa, et paullulo latior postice quam antice. Spatium inter oculos medios posticos eorum diametrum paene aequat, et spatiis quibus a lateralibus posticis distant non parum minus est. *Sternum* apice longo angustissimo inter coxas 4.<sup>ti</sup> paris spatio angusto inter se separatas pertinens. *Mandibulae* paene cylindratae, duplo longiores quam latiores, tibiâ 4.<sup>ti</sup> paris vix crassiores, nitidae, in basi dorsi leviter convexae; sulcus unguicularis apice dente minuto praeditus videtur. *Labium* multo latius quam longius, apice late truncatum, maxillis plus duplo brevior. Unguis mandibulae sat brevis et tenuis. *Pedes* sat fortes et breves, 1.<sup>i</sup> paris pedibus 4.<sup>i</sup> paris parum longiores. *Abdomen* globoso-ovatum. *Vulva* magna sed parum elevata sulco longo transverso recurvo in duas partes est divisa, quarum anterior impressione magna levissima notata est, pars posterior eâ multo brevior, brevissima, nitidissima, postice late rotundato-truncata.

*Color.* — *Cephalothorax* cum *palpis* fusco-ruber, *sternum* cum *partibus oris* laetius fusco-rubrum. *Pedes* picei, saltem anteriores apice late fusci, coxis et trochanteribus omnium pedum laete fusco-rubris. *Abdomen* nigrum, hac pictura flava: in declivitate

antica adest vitta sat longa et lata, aequalis, dein, in medio dorso, alia vitta transversa sat longa, latior, in medio antice et apicibus paullo dilatata, quam sequitur fascia longitudinalis paullo brevior, in lateribus inaequalis et posteriora versus paullo angustata; utrinque paullo pone eam, in utroque latere igitur, et non parum ante mamillas, macula sat magna rotundata conspicitur. Venter in medio mox pone vulvam maculam sat magnam flavam, antice truncatam, postice rotundatam ostendit. *Vulva* et scuta pulmonalia fusca sunt, sulco illo vulvae transverso nigro; *mamillae* magis fuscae, apice sub-testaceae.

Lg. corp. paene 9; lg. cephaloth.  $4\frac{1}{2}$ , lat. ej. 3, lat. clypei paullo plus 4; lg. abd. 6, lat. ej. paullo plus 5 millim. Ped. I paene 15, II 12, III 10, IV  $14\frac{1}{2}$ ; pat. + tib. IV  $5\frac{1}{4}$  millim.

Feminam singulam pulcherrimae hujus speciei in montibus Carin Chebà invenit Fea. — Ad gen. *Teutanam* Sim. referenda videtur; sed modo species illas hujus generis (e. gr. *T. triangulosam* (Walck.)) quae labium magnum, obtuse triquetrum et dimidium maxillarum longitudine multo superans habent, a *Theridio* (Walck.) Sim. certo distinguere possum.

\*\* 95. **Th. (Teutana?) perspicillata**, n., *cephalothorace cum sterno, coxis et trochanteribus rufo vel testaceo-rufo, pedibus praeterea ad maximam partem obscure testaceis, femoribus 1.<sup>i</sup> paris nigricantibus, saltem cum apice tiliarum hujus paris et apice femorum 1.<sup>i</sup> et 4.<sup>ti</sup> parium nigris; femoribus 1.<sup>i</sup> paris cephalothorace paene duplo longioribus; abdomine breviter sub-ovato, nigro, vittis duabus transversis cinereo-testaceis interstitio transverso sub-perspicilliformi separatis et utrinque cum fascia magna inaequali laterum conjunctis ornato, quarum posterior in medio postice ramo sub-hastato continuatur; ventre nigro, maculis tribus sat parvis cinereo-testaceis notato.* — ♀ ad. Long.  $7\frac{1}{2}$  millim.

FEMINA. — *Cephalothorac* forma est in hoc genere solita, impressionibus cephalicis fortibus et fovea sive sulco brevi lato transverso forti praeditus; pars cephalica parva et antice angusta alio sulco sive impressione transversa levi pone oculos munita videtur. Clypeus sub oculis transversim sat profunde impressus



est; altitudo ejus longitudine areae oculorum mediorum paullo est major, et paene aequae magna ac longitudo mandibularum. Area *oculorum* paullo elevata videtur. Oculi omnes sat magni; series eorum postica paullulo deorsum curvata est, vix evidenter recurva; series antica paullo recurva, a fronte visa recta. Area oculorum mediorum saltem aequae longa est ac lata postice, et paullulo latior postice quam antice; medii postici a lateralibus posticis paullo longius quam inter se remoti sunt, inter se spatio modo dimidiam diametrum suam aequante disjuncti. Oculi medii antici lateralibus vix majores (ut in *Th. (Steatoda) castaneum* (Clerck.)); bini laterales inter se contingentes. *Sternum* inter coxas 4.<sup>i</sup> paris spatio dimidiam latitudinem internodii vix aequante separatas anguste productum. *Mandibulae* duplo longiores quam latiores. *Labium* trapezoide, apice late truncatum, dimidiam maxillarum longitudinem vix superans. *Pedes* longi (praesertim 1.<sup>i</sup> paris?), femore 1.<sup>i</sup> paris cephalothorace paene duplo longiore; femora anteriora subter sat dense et fortiter granulosa sunt. *Abdomen* non parum longius quam latius, sub-ellipticum.

*Color.* — *Cephalothorax* rufus est, *sternum* cum coxis et trochanteribus pedum rufo-testaceum; *mandibulae* et *pulpi* magis testacea. *Pedes* praeterea ad maximam partem obscure testacei, sed femora 1.<sup>i</sup> paris nigricantia sunt et apex femorum saltem 4.<sup>i</sup> paris cum apice tibiaram 1.<sup>i</sup> paris niger. *Abdomen* nigrum, pictura cinereo-testacea: dorsum nigrum antice vittam latam in medio antice profunde et anguste incisam, in medio postice dilatam, cinereo-testaceam ostendit, et pone eam, ante medium, aliam vittam ejusdem coloris, in medio sat latam, versus extremitates angustatam et acuminatam, quae in medio postice fascia brevi sive ramo sub-hastato retro directo continuatur: haec vitta a vitta anteriore interstitio transverso nigro in medio fortiter angustato (fere perspicilli-formi igitur) separatur; ambae vittae dorsi cinereo-testaceae utrinque cum fascia postice lata et valde inaequali cinereo-testacea laterum unita est. Venter niger utrinque anterieus maculam parvam cinereo-testaceam ostendit, et maculam ejusmodi mediam paullo pone vulvam. *Mamillae* fusco-testaceae.

Lg. corp. 7  $\frac{1}{2}$ ; lg. cephaloth. 3, lat. ej. paene 2  $\frac{1}{2}$ , lat. clypei

paullo plus 1; lg. abd. 4, lat. ej. 3 millim. Ped. I sine tarso 16, (fem. I  $5\frac{1}{2}$ , tib. I  $4\frac{1}{4}$ ); ped. II 12, III sine tarso  $5\frac{1}{2}$ ? IV?

Feminam singulam valde mutilatam vidi, a Fea in montibus Carin Chebà captam.

\*\* 96. *Th. (Teutana ?) climacode*, n., *cephalothorace nigro vel piceo-nigro, pedibus nigris, femoribus et tibiis posticis ad maximam partem rubris; abdomine elliptico, non alto, aut nigro et transversim sub-rufescenti-cinereo-vittato et praeterea lineis vittisve angustis albicantibus transversis ornato, quae omnes vel saltem ad partem lineae mediae longitudinali dorsi persectae sunt; aut paene toto nigro.* — ♀ ad. Long. circa  $10\frac{1}{2}$  millim.

FEMINA. — *Cephalothorax* forma est ordinaria, impressionibus cephalicis sat fortibus, fovea centrali profunda, paullo transversa; pars cephalica parva et antice angusta est. Clypei altitudo longitudinem areae oculorum mediorum paullo superat, longitudine mandibularum non parum minor. *Sternum* ad formam ut in prioribus, punctis levibus impressis sat crasse scabrum. *Oculi* subaequales, sat magni; spatium inter medios posticos dimidiam eorum diametrum vix superat. Series oculorum postica leviter deorsum est curvata, desuper visa recta, series antica recurva, a fronte visa recta; area oculorum mediorum quadrata, vix longior quam latior, et vix vel non latior postice quam antice. *Oculi* bini laterales contingentes sunt inter se. *Mandibularum* sulcus unguicularis apice binos dentes parvos ostendit, quorum saltem alter marginis anterioris sulci est. *Labium* multo latius quam longius, apice late sub-truncatum; dimidiam maxillarum longitudinem non superat. *Pedes* mediocres, anteriores subter sat dense granulosi. *Abdomen* oblongum, ellipticum, non multo altum, aequè latum anterius ac posterius. *Vulva* costam tenuem longitudinalem nigram secundum medium formare videtur (?).

*Color.* — *Cephalothorax* et *sternum* nigra vel piceo-nigra, *partes oris* et *palpi* ejusdem coloris, femoribus 4.<sup>i</sup> paris, apice satis anguste nigro excepto, cum tibiis ejusdem paris basi latissime rubris, metatarsis et basi tarsorum horum pedum rufescen-

tibus quoque. Etiam tibiae 2.<sup>i</sup> et 3.<sup>ii</sup> parium, cum femoribus 2.<sup>i</sup>, basi plus minus late rubrae vel rufescentes sunt. *Abdomen* nigrum vittis 2-3 transversis inaequalibus longis et latis rufescenti-cinereis ornatum, quae cum sua quaque vitta angustiore vel linea transversa albicanti alternant: prima horum linearum valde recurva, versus declivitatem dorsi anticam sita, interdum in medio late abrupta est, secunda, in medio dorso sita, longissima et paullo undulata; pone eam, in parte dorsi postica, lineam breviorē albicantem transversam video, et denique lineam longitudinalem rectam, apice furcatam ejusdem coloris. Venter in medio maculam sat parvam albicantem vel flavam ostendit, et latera dorsi lituram inaequalem unam alteramve. Sed pictura dorsi et laterum non parum variat: *interdum* dorsum abdominis lineis paucis transversis albicantibus est ornatum, quae linea media longitudinali persectae sunt et cum fascia inaequali et flexuosa ejusdem coloris in utroque latere conjunctae. In *alia* varietate abdomen paene totum nigrum est, modo litura una alterave albicanti in lateribus antice notatum.

Lg. corp.  $10\frac{1}{2}$ ; lg. cephaloth. 4, lat. ej.  $3\frac{1}{4}$ , lat. clyp.  $1\frac{1}{2}$ ; lg. abd.  $7\frac{1}{2}$ , lat. ej.  $5\frac{3}{4}$  millim. Ped. I paene 18, II 12, III  $10\frac{3}{4}$ , IV 15; pat. + tib. IV 5, tib. IV  $4\frac{1}{2}$  millim.

Exempla pauca, pleraque juniora, in montibus Carin Chebà collegit Fea.

\*\* 97. **Th. (Teutana) Leonardi**, n., *cephalothorace sub-fusco-testaceo, fascia media longitudinali sat lata nigricanti, marginibus lateralibus nigricantibus quoque; pedibus rufescenti-testaceis, internodiis plerisque saltem apice paullo infuscatis; abdomine parum longiore quam latiore, paene globoso et sub-depresso, ad magnam vel maximam partem luteo-cinereo et punctis albis plus minus sparso, hac area luteo-cinerea maculis magnis nigris picta, quae aut liberae sunt aut plus minus inter se confusae.* — ♀ ad. Long. circa  $5\frac{2}{3}$  millim.

FEMINA. — *Cephalothorax* paullo longior quam lator, utrinque anteriùs sat fortiter angustatus; latitudo clypei dimidiam latitudinem partis thoracicae non aequat. Impressiones cephalicae et fovea magna in quam postice coeunt evidentissimae. Altitudo

clypei longitudine areae oculorum mediorum paullo est major, longitudine mandibularum multo minor; et ad longitudinem et transversim convexus est clypeus. Apex *sterni* obtusi inter coxas 4.<sup>i</sup> paris sat late disjunctas pertinet. *Oculi* sat parvi, paene aequales; series eorum postica deorsum curvata est, antica a fronte visa recta; area mediorum parum longior est quam latior, et parum latior postice quam antice; medii postici, spatio eorum diametrum aequante separati, paullo longius inter se quam a lateralibus posticis remoti sunt. *Mandibulae* saltem duplo et dimidio longiores quam latiores, a basi ad apicem sensim paullulo angustatae; *labium* sub-triangulum, dimidium maxillarum longitudine aequans. *Abdomen* sub-globosum, parum longius quam latius, sub-depressum. *Vulva* ex area humili transversa, sulco longitudinali in duas partes divisa constat, quae in medio maculam (tuberculum?) parvum nigrum ostendunt.

*Color.* — *Cephalothorax* sub-fusco-testaceus, fascia media longitudinali sat lata cum marginibus lateralibus cephalothoracis nigra. *Palpi* rufescenti-testacei, annulo infuscato in parte tarsali. *Pedes* rufescenti-testacei, apicibus internodiorum praesertim metatarsorum et medio femorum sub-infuscatis. *Abdomen* ad magnam partem luteo-cinereum et maculis minutis albis plus minus sparsum: haec pars luteo-testacea, quae paene totum dorsum occupat et ibi maculis paucis magnis nigris picta est (1-2 maculis in medio, quae maculae circa 4 maculis plus minus inter se unitis circumdantur) in lateribus, superius, fascia valde lata inaequali vel sinuato-dentata nigra limitatur et circumdatur, inferius vero haec pars nigra alia fascia luteo-cinerea vel maculis ejus coloris paucis limitata est; venter ad maximam partem luteo-cinereus; *mamillae* luteae.

Interdum dorsum abdominis potius nigrum dici posset, fasciis paucis longitudinalibus latissimis sinuatis et inaequalibus luteo-testaceis et plus minus albo-punctatis pictum.

Lg. corp.  $5 \frac{2}{3}$  millim.; lg. cephaloth. paullo plus 1, lat. ej. 1 millim.; lg. abd. 2, lat. ej.  $1 \frac{3}{4}$  millim. Ped. I 6, II  $4 \frac{3}{4}$ , III  $3 \frac{1}{2}$ , IV  $4 \frac{1}{2}$ ?

Exempla paucissima in montibus Carin, ad Chialà, inventa

sunt. — Haec species praesertim *Th. trianguloso* Walck. et *Th. mundulo* L. Koch affinis videtur.

\*\*98. *Th. urnigerum*, n., *cephalothorace cum sterno et partibus oris rufescenti-fusco vel ferrugineo, pedibus ejusdem coloris sed basi clarioribus, apice tiliarum 4.<sup>i</sup> paris tamen nigro vel nigricanti; abdomine breviter elliptico, sat crasso, supra ad maximam partem nigro, ante medium plaga obscure lutea, utrinque inferius linea longitudinali albicanti limitata occupato, in medio dorso lineolis duabus transversis brevibus albis, et pone eas, in medio utriusque lateris, linea ejusdem coloris notato, postice vero area urni- vel vasi-formi fere, antice rotundata, posteriora versus sensim dilatata, obscure lutea, albo-limbata signato, ventre ad maximam partem obscure luteo quoque.* — ♀ ad. Long. circa  $3\frac{3}{4}$  millim.

FEMINA. — *Cephalothorax* circa dimidio longior quam lator, levis, nitidus, impressionibus cephalicis distinctis, fovea vel sulco centrali vix ullo. Dorsum ipsum cephalothoracis rectum est, non anterieus acclive, area oculorum mediorum paullo proclivi. Altitudo clypei longitudinem hujus areae vix superat, longitudine mandibularum non parum minor. Series *oculorum* postica procurva a fronte visa deorsum est curvata, series antica a fronte visa recta, desuper visa paullo recurva. Oculi medii antichi tuberculo communi impositi, prominuli, reliquis sub-aequalibus majores; oculi medii longius inter se quam a lateralibus ejusdem seriei distant. Medii antichi spatium diametrum suam paene aequante separati sunt. Area mediorum quadrata, vix longior quam lator. *Sternum* sub-triangulum, laeve, apice postico sub-acuminato modo breviter inter coxas 4.<sup>i</sup> paris sat late disjunctas pertinet. *Labium* transversum, antice late truncatum, dimidium maxillarum longitudine non aequans. *Pedes* brevissimi, ut videtur ita: I, II, IV, III, longitudine se excipientes. *Abdomen* crassum, paullo longius quam latius, sub-ellipticum, non latius anterieus quam posterius. *Vulva* ex fovea parva transversa sub-rectangula constat, cujus margo anterior incrassatus est.

*Color.* — *Cephalothorax* et *sternum* rufescenti-fusca vel ferruginea, *partes oris* et *palpi* sub-ferruginei, *pedes* ejusdem coloris,

basi tamen sat late clariores, testacei vel fusco-testacei; tibiae 4.<sup>i</sup> paris apice nigrae vel nigricantes sunt. *Abdomen* ad maximam partem nigrum fere in medio, supra, maculis duabus transversis albis sive lineolis duabus ejusmodi, vel potius linea sat brevi transversa in medio abrupta alba notatum est, et non parum pone eas, in medio utriusque lateris, alia lineola transversa alba paullo longiore et paullo recurva vel sub-obliqua ornatum, quae duae lineolae longe inter se remotae sunt. Pone eas, in declivitate dorsi postica, lineae albicantes duae primum incurvae, dein late retro divaricantes figuram magnam anterieus rotundatam, dein supra anum sub-triangularam designant, quae area ad magnam partem sordide lutea est; etiam antice, ante maculas illas duas albas, abdomen sordide luteum est, hac plaga lutea utrinque linea longitudinali albicanti marginata. Latera abdominis subter et venter sordide lutea; venter modo circum mamillas niger est, hic ut utrinque antice paullo albo-maculatus. *Mamillae* sub-fuscae.

Lg. corp.  $3\frac{3}{4}$  millim.; lg. cephaloth.  $1\frac{1}{4}$ , lat. ej. circa  $\frac{5}{8}$ , lat. clyp. circa  $\frac{1}{4}$ ; lg. abd.  $2\frac{1}{2}$ , lat. ej. paene 2 millim. Ped. I  $4\frac{1}{4}$ , II 4, III 3, IV  $3\frac{1}{2}$  millim.

Feminas duas ad Bhamò a Fea inventas vidi.

\*\* 99. **Th. niveo-punctatum**, n., *cephalothorace rufo-fusco, area oculorum paullo elevata nigricanti, et linea media limboque partis thoracicae interdum infuscatis, pedibus rufo-fuscis; abdomine sub-olivaceo, maculis parvis rotundis 4 vel 6 niveis in series duas longitudinales digestis in dorso binisque majoribus in utroque latere ornato, praeterea maculis nigricantibus majoribus et minus distinctis saltem 3 in utroque latere dorsi notato.* — ♂ ♀ ad. Long. circa 2 millim.

FEMINA. — *Cephalothorax* vix longior quam latior, utrinque antice fortiter sinuato-angustus, parte cephalica anterieus (area oculorum) evidenter elevata. Clypeus, sub oculis transversim impressus, longitudine areae oculorum mediorum et longitudine mandibularum parum altior est. *Oculi* sat magni et conferti; series eorum postica deorsum curvata est, series antica a fronte visa recta vel paullulo deorsum curvata. Area mediorum paullo

lterior est postice quam antice et paullo longior quam latior; spatio diametrum suam vix aequante inter se et a lateralibus anticis separati sunt (?); oculi bini laterales inter se paene contingentes, ut medii postici cum lateralibus posticis. Medii postici reliquis oculis majores, spatio modo minuto separati; medii antici reliquis minores. *Sternum* latum, transversim convexum, apice obtuso vix inter coxas 4.<sup>1</sup> paris, quae late disjunctae sunt, pertinens. *Mandibulae* parvae, altitudine clypei vix longitudine superantes. *Maxillae* in labium transversum et brevissimum fortiter inclinatae. *Pedes* breviores, ut videtur ita: IV. I, II, III longitudine se excipientes. *Abdomen* inverse ovatum, circa dimidio longius quam latius. Totum corpus laeve est, non scabrum vel impresso-punctatum, parcius pubescens.

*Color.* — *Cephalothorax* rufo-fuscus, area oculorum nigra. Pars thoracica postice secundum medium paullo infuscata sive linea media longitudinali obscura notata; interdum pars thoracica limbo obscuriore utrinque circumdata est. *Sternum*, *palpi* et *partes oris* cephalothorace paullo pallidiora. *Pedes* colore cephalothoracis. *Abdomen* olivaceum vel olivaceo-cinereum, maculis 8 albissimis ornatum, quarum 4 paullo ante medium dorsi sitae et trapezium paullo latius antice quam postice formantes parvae et rotundatae sunt, duae aliae in utroque latere positae iis majores; interdum pone trapezium illud maculas duas albas magis inter se approximatas, et vestigia maculae albae in declivitate abdominis antica video quoque. Praeterea dorsum utrinque maculis circa tribus majoribus sed minus distinctis nigris notatum est. Venter, clarius olivaceus, apud mamillas paullulo nigro-maculatus videtur. *Mamillae* testaceae.

MAS vix nisi structura palporum et abdomine minore a femina differt. — *Palpi* sat longi, clava sat crassa. Pars femoralis cylindrata est, saltem triplo longior quam latior; pars patellaris ejus crassitie, et paullo longior quam latior; pars tibialis transversa, parte patellari multo latior et multo brevior, fere pateriformis; pars tarsalis reliquo palpo fere duplo latior, sub-ovata, parte femorali evidenter brevior; bulbus, ut videtur, parum complicatus, sub-fuscus, reliquo palpo obscurior.



♀ ad. — Lg. corp. 2; lg. et lat. cephaloth. circa  $\frac{3}{4}$ ; lg. abd. saltem  $1\frac{1}{4}$ , lat. ej. circa  $\frac{5}{8}$  millim.

Marem et feminam ad Rangoon, aliamque feminam ad Bhamò cepit Fea.

\*\* 100. **Th. flavo-ornatum**, n., *cephalothorace luteo-testaceo, anguste nigro-marginato, sterno fusco-testaceo, palpis pedibusque luteo-testaceis; abdomine oblongo, posterius in dorso angulum obtusum formante, ad colorem cinereo-olivaceo, fascia longitudinali lata utrinque sinuato-emarginata flava in dorso ornato et apud hanc fasciam et pone eam maculis 8 nigris in duas series longitudinales ordinatis notato, quae maculae posteriora versus gradatim majores evadunt.* — ♂ ♀ ad. Long. circa  $1\frac{1}{2}$  millim.

FEMINA. — *Cephalothorax* parum longior quam latior, forma ordinaria, utrinque anterieus modice sinuato-angustatus, altitudine clypei longitudinem areae oculorum mediorum vix superante, longitudine mandibularum non parum minore. *Oculi* mediocres, medii antici reliquis paullo minores. Series oculorum postica deorsum curvata est, series antica a fronte visa recta; oculi medii postici parum longius inter se quam a lateralibus posticis remoti, spatio diametro sua paullo minore sejuncti; medii antici paullo longius inter se quam a lateralibus anticis remoti sunt; spatium quod medios anticos separat eorum diametro paullo majus est. Area oculorum mediorum paene quadrata, modo paullo longior quam latior. *Sternum* apice postico obtuso inter coxas 4.<sup>a</sup> paris sat late disjunctas vix pertinet. *Abdomen* paullo longius quam latius: dorsum ejus non aequaliter ad longitudinem rotundatum est, sed posterius, ad circa  $\frac{2}{3}$  longitudinis, angulum evidentem format, declivitate postica sub hoc angulo paene directa, saltem  $\frac{1}{3}$  longitudinis abdominis occupante.

*Color.* — *Cephalothorax* luteo-testaceus, margine tenui nigro utrinque cinctus. *Partes oris, palpi et pedes* toti luteo-testacei. *Sternum* fusco-testaceum. *Abdomen* olivaceo-testaceum: secundum totum dorsum, saltem ad angulum ejus posticum, extensa est fascia longitudinalis flava, in medio lata, anteriora et posteriora versus angustata, quae utrinque bis vel ter sinuato-emarginata



est et in his emarginationibus macula sat parva rotunda nigra notata: in ipso angulo postico abdominis duas alias maculas ejusmodi paullo majores et magis inter se appropinquantes ostendit, et magis infra, apud mamillas, maculas duas nigras majores, spatio paullo majore separatas: omnes hae maculae 8 nigrae, posteriora versus gradatim majores, series duas longitudinales formant. In medio utriusque lateris macula flava conspicitur et sub ea stria nigra deorsum directa. Venter maculam magnam nigram ante mamillas, et maculam minorem vel vittam transversam ejusdem coloris utrinque ad basin interdum ostendit.

MAS *ad.* a femina praesertim pedibus longioribus, abdomine angustiore et in dorso posterius minus evidenter angulato, praeter palporum structura differt. Area *oculorum* mediorum paullo latior antice quam postice est, medii antici reliquis oculis saltem non minores. *Pedes* longi et graciles, praesertim antici longiores quam in femina, 4.<sup>1</sup> paris circa 6 1/2 millim. longi. *Palpi* graciles et breves. Pars femoralis parum plus duplo longior quam latior videtur. pars patellaris fere aequae longa ac lata: pars tibialis brevissima, parte patellari circa duplo brevior, pars tarsalis cum bulbo prioribus duabus conjunctis multo longior, et iis saltem duplo crassior, partem femoralem longitudine circiter aequans.

Cel. Fea duo exempla adulta, marem et feminam, ut et feminam juniorem hujus speciei ad Bhamò invenit.

\*\* 101. **Th. inconspicuum**, n., *cephalothorace anteriora versus sensim elevato, luteo-testaceo, fascia longitudinali antice lata, posteriora versus sensim angustata, ab oculis anticis in partem thoracicam pertinenti ornato, sterno cum partibus oris pallide testaceo; pedibus testaceis, femoribus 4.<sup>1</sup> paris macula nigra versus apicem postice notatis; abdomine supra nigro, subter magis olivaceo.* — ♀ *ad.* Long. circa 1 1/2 millim.

MAS. — *Cephalothorax* parum longior quam latior, utrinque anterieus fortiter angustatus; pars cephalica anteriora versus sensim elevata est, area oculorum prominenti; clypeus altissimus, directus: altitudo ejus longitudine areae oculorum mediorum et mandibularum parvarum multo, circa duplo, major est. *Oculi*

medii sat magni, aream vix longiorem quam latiore et parum latiore antice quam postice occupantes; series oculorum postica deorsum curvata est, series antica a fronte visa paullo sursum curvata. Oculi medii postici, spatio oculi diametrum circiter aequante separati, aequae longe inter se et a lateralibus posticis remoti sunt. *Palpi* breves, clava magna oblonga, femore antico paene duplo latior; pars femoralis saltem triplo longior est quam latior; pars patellaris, ejus crassitie, paullo longior quam latior; pars tibialis supra, extus, in laminam magnam, parti tarsali adjacentem dilatata est et hic multo longior quam pars patellaris, intus vero hac parte multo brevior; pars tarsalis cum bulbo clavam circa duplo longiorem quam latiore, reliquum palpum longitudine aequantem format; et prope apicem bulbi, extus, spinam gracilem non longam nigram video. *Pedes* ut palpi magis pubescentes, breves sunt, ut videtur ita: I, II, IV, III longitudine se excipientes. *Abdomen* parvum, ovatum, postice sub-acuminatum, fere dimidio longius quam latius.

*Color.* — *Cephalothorax* luteo-testaceus, fascia longitudinali posteriora versus sensim angustata fuliginea notatus, quae partem cephalicam tegit et longe retro in partem thoracicam continuatur: sub oculis anticis cephalothorax aliam fasciam fuligineam deorsum directam sensim angustatum ostendit. *Sternum* pallide testaceum. *Partes oris* et *palpi* testacei, bulbo genitali rufescenti; *pedes* quoque testacei, femoribus 4.<sup>1</sup> paris postice ad apicem macula sat magna nigra notatis. *Abdomen* supra nigrum, in lateribus et subter sub-olivaceum vel olivaceo-nigricans. *Mamillae* obscure cinereae.

Lg. corp. circa  $1\frac{1}{2}$ ; lg. et lat. cephalothoracis circa  $\frac{3}{4}$ ; lg. abd.  $\frac{3}{4}$ , lat. ej. circa  $\frac{1}{2}$  millim.

Mas singulus, ex Bhamò.

\*\* 102. **Th. nigro-punctulatum**, n., *longius pilosum*, cephalothorace serie media longitudinali setarum longiorum ornato, fusco-luteo, linea media longitudinali inaequali nigra; pedibus obscure luteo-testaceis, paululo fusco-annulatis, tibiis 4.<sup>1</sup> paris apice nigris; abdomine globoso, punctis nigris consperso. — ♂ ad. Long. circa  $1\frac{1}{3}$  millim.

MAS. — *Cephalothorax* forma est ordinaria, serie setarum longiorum secundum medium praeditus; altitudo clypei longitudine areae oculorum mediorum parum major est. *Oculi* magni; medii postici paullo longius inter se quam a lateralibus posticis remoti sunt et spatio diametrum suam aequante separati. Area oculorum mediorum quadrata est, et oculi medii antici (nigri) posticis (albis) paullulo majores. *Palpi* brevissimi, clava sub-ovata, sat magna, femora antica crassitie paene aequante. *Sternum* apice postico obtuso inter coxas 4.<sup>i</sup> paris disjunctas pertinet. *Pedes* ita: I, II, IV, III longitudine se excipiunt; 1.<sup>i</sup> paris, reliquis longiores, circa 4 millim. longi sunt. — *Pedes* et abdomen pilis longioribus sat dense conspersa sunt.

*Color.* — *Cephalothorax* fusco-luteus, linea media longitudinali inaequali nigra, et versus latera paullo infuscatus. *Sternum* et *partes oris* testacea. *Palpi* rufescentes, basi magis testacei. *Pedes* obscure luteo-testacei, paullo nigro- vel fusco-annulati: in pedibus 4.<sup>i</sup> paris tibiae (et metatarsi) apice anguste nigrae sunt; reliquae tibiae, ut femora, vestigia annulorum fuscorum plus minus evidentium versus medium et ad apicem ostendunt. *Abdomen* cinereo-testaceum, punctis nigris sat densis conspersum, quae antice in dorso paullo majora sunt quam postice, et in medio antice paene in duas strias longitudinales confusa; venter ejusdem coloris est, sed antice plaga nigricanti notatus. *Mamillae* testaceae.

Lg. corp. 1  $\frac{2}{3}$ ; lg. et lat. cephaloth. paullo plus  $\frac{2}{3}$ ; lg. et lat. abd. circa  $\frac{2}{3}$  millim.

Marem singulum ad Bhamò invenit Fea.

\*\* 103. **Th. albo-pictum**, n., *cephalothorace obscure fusco, tuberculo oculorum mediorum anticorum ante clypeum producto, his oculis reliquis majoribus; area oculorum mediorum paullo latior antice quam postice; pedibus luteo-testaceis, vix vel parum nigro-annulatis, basi latissime claris testaceis; abdomine sub-ovato, nigro et sub-olivaceo, pictura alba, antice in dorso lineolas duas breves parallelas formante, quae utrinque in dorso paene in circumulum magnum album superius abruptum continuata sunt, et praeterea maculis paucis albis consperso.* — ♂ ad. Long. fere  $2\frac{3}{4}$  millim.

MAS. — *Cephalothorax* paullo longior quam latior, utrinque antice fortiter angustatus, impressionibus et sulco centrali longitudinali distinctissimis, tuberculo oculorum mediorum anticorum ante clypeum prominente, clypeo sub hoc tuberculo directo, altitudine longitudinem areae oculorum mediorum superante. *Oculi* medii antici reliquis oculis majores. Area oculorum mediorum paullo latior est antice quam postice, parum longior quam latior antice; oculi medii postici spatio diametrum suam aequante separati sunt. Oculi bini laterales inter se contingentes. *Palpi* breves, clava magna, femore 1.<sup>i</sup> paris paullo crassiore. Pars patellaris vix longior quam latior est, pars tibialis dilatata, cum parte tarsali et bulbo in clavam magnam oblongam unita; bulbus subter spinam longam in circulum magnum convolutam ostendit. *Pedes* ita: I, II, IV, III longitudine se excipiunt; pilis mediocribus sparsi et setis paucis fortibus sive aculeis tenuibus armati sunt. Femora 1.<sup>i</sup> paris evidenter paullo incrassata. *Abdomen* ovato-globosum, vix dimidio longius quam latius, parcius pubescens. *Mamillae* brevissimae.

*Color.* — *Cephalothorax* obscure fuscus, indistincte nigro-marginatus. *Sternum* et *partes oris* sub-fusca; *palpi* luteo-testacei, clava rufescenti-fusca. *Pedes* luteo-testacei, coxis et femoribus clarius luteis, tibiis 4.<sup>i</sup> paris apice ferrugineis, summo apice tamen nigris; apex metatarsorum quoque angustissime niger est. *Abdomen* nigrum et olivaceo-nigricans, pictura alba, quae antice in dorso lineolas duas breves, vel maculas duas longitudinales parallelas, extus inaequales, format et, paullo pone eas, lineas duas oblique retro et deorsum ductas et in ventrem continuatas et procurvas: cum lineolis illis anticis hae lineae quasi circulum anterius (supra) abruptum album utrinque in abdomine formant; inter et pone eas maculae tres parvae albae conspiciuntur, quarum posticus paullo pone medium dorsi locum tenet. Praeterea venter semicirculum utrinque abruptum albicantem antice, circa petiolum, ostendit, et maculas duas minutas ejusdem coloris non parum ante mamillas sitas, ut et maculam parvam albicantem extus, apud utrumque scutum pulmonale, quod rotundum et fuscum est. *Mamillae* nigrae.

Lg. corp.  $2\frac{3}{4}$  millim.; lg. cephaloth. paullo plus 1; lat. ej. paene 1; lg. abd.  $1\frac{2}{3}$ , lat. ej.  $1\frac{1}{4}$  millim. Ped. I  $4\frac{1}{2}$  millim. longi.

Marem singulum ex Tharawaddy domum reportavit Fea.

\*\* 104. **Th. setigerum**, n., *cephalothorace obscure fusco, tuberculo oculorum mediorum anticorum ante clypeum prominente, pedibus anterioribus rufescenti-fuscis, posterioribus magis testaceis et, praesertim in apice tibiurum 4.<sup>i</sup> paris, annulo nigro cinctis, tibiis anticis setis sat fortibus nigris densius conspersis; abdomine nigricanti, maculis duabus parvis albis antice in dorso, et pone eas maculis vel vittis duabus sub-recurvis albis, in maculas divulsis notato, postice in dorso vero macula transversa alba singula.* — ♂ ad. Long. circa 2 millim.

MAS. — *Cephalothorax* paullo longior quam latior, ad formam fere ut in specie priore, tuberculo oculorum anticorum mediorum non parum ante clypeum prominente; clypeus directus, altitudine longitudinem areae oculorum mediorum superans; setis nonnullis longis et fortibus conspersus est cephalothorax. Area *oculorum* mediorum sub-aequalium quadrata est, medii postici spatio eorum diametrum fere aequante separati, vix longius inter se quam a lateralibus posticis remoti. *Palpi* brevissimi, clava magna; pars patellaris aequae longa ac lata est, pars tibialis dilatata, cum parte tarsali et bulbo clavam magnam rotundatam, femur anticum crassitie aequantem, ad partem rufescentem formans; subter in bulbo setam longam pallidam fere in circulum convolutam vidisse videor. *Pedes* ita: I, II, IV, III longitudine se excipiunt; 1.<sup>i</sup> paris pedes reliquis non parum longiores sunt, femoribus sub-incrassatis; praesertim in tibiis, supra, hi pedes setis acuminatis sat longis vel potius aculeis gracilibus sat dense conspersi sunt. *Abdomen* sub-globosum, modo paullo longius quam latius, setis sat longis densius conspersum. *Mamillae* brevissimae.

*Color.* — *Cephalothorax* obscure fuscus; *sternum* testaceum, maculis paucis parvis transversis nigris ad margines laterales notatum. *Partes oris* sub-testacea (?). *Palpi* fusci. *Pedes* anteriores rufescenti-fusci, basi testacei, et in femoribus et tibiis annulis

binis fuliginis plus minus distinctis notati; posteriores pedes testacei, apice tiliarum praesertim 4.<sup>i</sup> paris sat late, metatarsorum vero anguste, nigro, et praeterea in tibiis et metatarsis macula una alterave parva nigra notati. *Abdomen* sub-olivaceo-nigrum, hac pictura: antice in dorso maculae duae minutae albae, una utrinque, conspiciuntur, et pone utramque earum, paullo pone medium dorsi, vitta transversa sub-recurva alba, plus minus in maculas divulsa; in medio dorso postice, non parum supra anum, maculam sat parvam transversam albam video: etiam in lateribus paullo albicanti-variaturum videtur abdomen. *Mamillae* nigricantes.

Lg. corp. 2 millim.; lg. cephaloth. 1, lat. ej. paene 1; lg. abd. 1, lat. ej. paene 1 millim. Ped. I saltem 3 millim. longi.

Mas singulus, ex Rangoon.

105. **Th. (Coleosoma) (<sup>1</sup>) blandum**, Cambr., 1882. Bhamò.

\*\* 106. **Th. (Coleosoma) tenuissimum**, n., *cephalothorace fusco-vel rufescenti-testaceo, pedibus luteis; abdomine duplo longiore quam latiore, testaceo-cinereo, in dorso postice maculis duabus nigris, antice vero striis duabus longitudinalibus nigris notato, et collo duriore brevi recurvo fusco in declivitate antica praedito, quod oblique deorsum in lateribus continuatum in scutum ventrale magnum luteo-testaceum nigro-limbatum transit.* — ♂ ad. Long. circa 2 millim.

MAS. — *Cephalothorax* paene dimidio longior quam latior, anterus sensim modo sat leviter angustatus, parte thoracica in lateribus leviter rotundata, fovea centrali parva sed evidenti, impressionibus vero cephalicis vix ullis. Clypeus paene directus, transversim convexus, sub oculis vix impressus: altitudo ejus longitudinem areae oculorum mediorum aequat, longitudine mandibularum minor. *Oculi* parvi, paene aequales; series eorum postica leviter deorsum est curvata, series antica paullo recurva, a fronte visa sub-recta; oculi medii in quadratum dispositi sunt,

(<sup>1</sup>) Sec. Cel. Simon (H. N. d. Araignées, 2.<sup>e</sup> Ed. 1, p. 536) nota generi *Coleosomati*, Cambr., peculiaris « est propre au male et n'est, au reste, que l'exageration d'un caractere qui existe chez la plupart des *Theridions* » (1).

medii postici, spatium oculi diametrum aequante separati, vix longius a lateralibus posticis quam inter se remoti sunt. *Sternum* triangulum, parum longius quam latius, apice postico brevi sub-acuminato inter coxas 4.<sup>i</sup> paris (spatio diametrum coxae transversam aequante disjunctas) paullo pertinens. *Palpi* maris graciles et sat breves sunt, clava sat parva, rotundata. Pars femoralis modice longa, recta et cylindrata est, pars patellaris ea vix crassior, circa dimidio longior quam latior; pars tibialis parte patellari non parum brevior, a basi ad apicem modice incrassata, sub-campanulata, circa dimidio latior apice quam longior; pars tarsalis partem femoralem longitudine fere aequat, sub-ovata; bulbus (paullo compressus) a latere visus, paullo ante medium spinam longam paullo procurvam, apice angustato-acuminatam ostendit, et mox ante eam aliam spinam sive procursum paullo angustiore, duplo brevior, sub-cylindratum, eum quoque deorsum directum habet; subter, ad basin spinae illius longae, dentem brevem deorsum directum video. *Pedes* graciles, parcius pilosi, ita: I, IV, II, III longitudine se excipientes. *Abdomen* duplo longius quam latius, sub-cylindratum; supra, antice, collum breve duriusculum ostendit, quod utrinque in margine antico dentem brevem porrectum format: hoc collum in utroque latere oblique deorsum continuatur et in ventre in scutum magnum, latum oblongum, ad fere  $\frac{3}{4}$  longitudinis abdominis pertinens transit, quod latera paene parallela habet et postice truncatum est. *Mamillae* brevissimae.

*Color*. — *Cephalothorax* totus fusco- vel rufescenti-testaceus; *sternum* et *partes oris* magis lutea, *palpi*, clava magis rufa excepta, et *pedes* lutei vel luteo-testacei, tibiis 4.<sup>i</sup> paris plerumque apice infuscatis. *Abdominis* dorsum testaceo-cinereum est, declivitate antica (collo duriore) vitta recurva obscura cineta, et postice maculis duabus mediocribus nigris, non parum supra mamillas, una utrinque, sitis ornatum; etiam antice, pone vittam illam recurvam, strias duas parvas oblongas parallelas nigras ostendit dorsum, et interdum, secundum medium, puncta vel maculas paucas minutas albas in series duas (vel quattuor) longitudinales ordinatas. Scutum magnum ventrale, paene duplo longius quam



latius, luteo-testaceum est, in lateribus et postice nigro- vel fusco-limbato; etiam area mamillarum limbo nigro vel obscure fusco circumdata est.

Exempla paucissima mascula, ex Palon. — Femina ibidem capta, quae ejusdem speciei forsitan est (<sup>1</sup>), etsi cum *Theridiis* ordinariis plane conveniens, et mari supra descripto valde dissimilis, praesertim his notis agnosci potest: *Cephalothorax* non multo longior quam latior est, utrinque anterieus sat fortiter sinuato-angustatus, obscurius fusco-testaceus. *Pedes* fusco-testacei vel testacei tibiae 4.<sup>1</sup> paris apice nigras habent, ut in mare supra descripto. *Abdomen* globosum vel globoso-ovatum, crassum, cinereo-olivaceum, in dorso maculis parvis albis inaequaliter sparsum et ordinibus duobus longitudinalibus macularum rotundatarum nigrarum, saltem 5 utrinque, notatum, quarum duae ultimae, alte supra mamillas locatae, reliquis plerumque majores vel saltem magis distinctae sunt; praeterea in utroque latere macula singula vel binae maculae nigrae conspiciuntur. Venter aream circum mamillas nigram habet, et maculam vel plagam nigram basi, prope petiolum. — Si nova *Theridii* species haec femina est, *Th. Palonense* appellari potest.

\*\* 107. *Th. (?) miserum*, n., *cephalothorace cum sterno, summo hujus margine nigro excepto, flavo-testaceo; pedibus flavo-testaceis, apice metatarsorum et tarsorum nigro; palpis brevibus, flavo-testaceis, clava maxima sub-globosa, parte quadam apicali nigra aucta; abdomine sub-globoso, supra et in lateribus pallide virenti-testaceo, maculis minutis argenteo-albis sparso et in utroque latere postice macula majore nigerrima ornato, inferius vero nigricanti.* — ♂ ad. *Long. fere 1 2/3 millim.*

*MAS.* — *Altitudo clypei* longitudinem areae oculorum mediorum non superare est visus. *Oculi* conferti; series eorum postica fortiter deorsum, antica minus fortiter sursum curvata. Area oculorum mediorum multo longior quam latior postice, latior postice quam antice. *Oculi medii postici*, qui reliquis oculis paullo

(<sup>1</sup>) Conf. p. 53, *notam.*



majores sunt, spatio minuto sunt separati, medii antici inter se contingentes; oculi bini laterales quoque inter se contingentes sunt. *Palpi* breves, clava tamen maxima, fere globosa. *Pedes* breves, setis dense conspersi. *Abdomen* crassum, paene globosum, parum longius quam latius.

*Color.* — *Cephalothorax* flavo-testaceus; *sternum* ejusdem coloris, summo margine tamen nigro. *Palpi* flavo-testacei, clava apice parte quadam longa nigra praedita. *Pedes* flavo-testacei, setis nigris conspersi; apex metarsorum et tarsorum niger. *Abdomen* pallide virescenti-testaceum, supra et in lateribus maculis minutis argenteo-albis rarioribus sparsum, et macula sat magna nigerrima in utroque latere, longe postice, ornatum; in medio inter has maculas punctis paucis nigricantibus in series duas longitudinales dispositis notatum quoque est. Venter antice niger, postice cum declivitate abdominis postica sat alte supra mamillas late nigricans est. *Mamillae* nigricantes.

Mas singulus ad Bhamò est captus.

Antequam descriptionem ejus perficere potui, hunc marem minutum (praeter abdomen ejus) casu infelici perldidi.

108. **Th. Oatesii**, Thor., 1895. Bhamò.

109. **Th. conurum**, Thor., 1895. Bhamò.

110. **Th. melanoprorum**, Thor., 1895. Bhamò.

111. **Th. tepidariorum**, C. L. Koch, 1841, var. *australe*, Thor., 1895. Rangoon, Tharrawaddy, Palòn, Bhamò, Carin Chebà sive Bià-pò.

112. **Th. T-notatum**, Thor., 1895. Palòn.

113. **Th. mundulum**, L. Koch, 1892 (= *Th. amoenum* Thor., *olim*). Palòn, Tharrawaddy.

114. **Th. rufipes**, Luc., 1845. Rangoon, Bhamò.

Gen. **Euryopis**, MENGE, 1868.

115. **E. molorpica**, Thor., 1895. Prome.

## Subfam. LINYPHIINAE.

Gen. **Erigone**, SAV., 1825-7.116. **E. crucifera**, Thor., 1895. Bhamò.

\*\* 117. **E. (sensu strict.) Bhamoensis**, n., *cephalothorace ferrugineo, in margine laterali subtiliter nigricanti-denticulato; pedibus flavo-testaceis, abdomine nigricanti-cinereo; mandibulis in latere antico, exterius, serie denticulorum fortium acuminatorum armatis, quorum saltem quinque inferiores deorsum curvati sunt.* — ♂ ad. Long. circa  $1\frac{1}{2}$  millim.

MAS. — *Cephalothorax* inverse ovatus, serie denticulorum rara in marginibus lateralibus armata; pars cephalica alta, postice abrupte elevata et superius usque ad oculos rotundato-convexa, area oculorum paullo prominenti; clypei altitudo longitudine areae oculorum mediorum fere dimidio major est, longitudine mandibularum paene duplo minor. Series *oculorum* postica modice deorsum curvata est, series antica a fronte visa paene recta, parum deorsum curvata. Area oculorum mediorum fere quadrata, modo paullo latior postice quam antice; oculi antici ut medii postici spatio evidentissimo separati sunt, oculi laterales inter se et cum mediis posticis contingentes. *Mandibulae* antice extus serie denticulorum fortium armatae sunt, quorum saltem 5 inferiores deorsum curvati et acutissimi sunt. *Palpi* sat longi et graciles; pars femoralis, recta et cylindrata, partes patellarem et tibialem conjunctas longitudine paullo superat, circa 5.plo longior quam latior; supra seriem tuberculorum minorum, suum quodque pilum vel setulam procurvam gerentium ostendit, subter vero serie setarum 5 directarum, tuberculis conicis mediocribus impositarum, praeditus est. Subter in parte trochanterali tubercula duo conica mediocria video. Pars patellaris paullo deorsum curvata et versus apicem incrassata est, saltem triplo longior quam latior apice, et prope apicem subter spina longa forti sensim angustato-acuminata et paullo recurva armata, cujus longitudo duplam latitudinem apicalem hujus spinae circiter aequat. Pars tibialis parte patellari paullo brevior et latior est, a latere visa a basi

angusta sensim dilatata et paene triangula, apice profunde bifida, lobo superiore magis erecto et multo brevior quam est lobus inferior, qui paullo sursum curvatus est et paene in medio postice dente conico retro directo armatus. Bulbus oblongo-ovatus, sub-fuscus vel ferrugineus. *Pedes* in femoribus 1.<sup>i</sup> paris subter seriem tuberculorum minorum piligerorum conicorum ostendunt. *Abdomen* pulchre ovatum.

*Color.* — *Cephalothorax*, *sternum* et *partes oris* ferruginea. *Palpi* flavo-testacei, bulbo ferrugineo. *Pedes* flavo-testacei. *Abdomen* cum *mamillis* nigricanti-cinereum.

Mas singulus, ad Bhamò inventus.

\*\* 118 **E. (Neriene) gibbicervix**, n., *cephalothorace ferrugineo-rufo*, paullo pone oculos in tuberculum mediocre, pilis nonnullis procurvis nigris conspersum elevato; clypei altitudine duplam longitudinem areae oculorum mediorum aequante; pedibus luteis, setis fortioribus longis praesertim supra in tibiis et patellis munitis; serie oculorum antica a fronte visa sursum curvata, area oculorum mediorum multo latior postice quam antice. — ♂ ad. Long. circa 2 millim.

MAS. — *Cephalothorax* inverse ovatus, impressionibus cephalicis fortibus, parte thoracica satis alta et anterius paullo acclivi, parte cephalica abruptius acclivi et paullo pone oculos in tuberculum modice altum (aeque altum ac crassum), obtusum, supra nitidum et pilis nonnullis procurvis nigris conspersum angustato-elevata, quod antice humilius est quam postice. Clypei altitudo longitudine areae oculorum mediorum duplo major est et longitudinem mandibularum paene aequat. Series oculorum postica recurva a fronte visa deorsum curvata est, series antica quoque paullo recurva, a fronte visa sursum curvata; area mediorum paullo latior est postice quam longior et multo angustior antice quam postice; medii postici, qui reliquis oculis paullo majores sunt, paullo longius inter se (ubi spatio diametrum suam saltem aequante sunt separati) quam a lateralibus posticis sunt remoti; medii antici, reliquis minores et spatio parvo separati, non parum longius a lateralibus anticis quam inter se distant. Oculi laterales

bini inter se contingentes, ut in reliquis hujus generis formis. *Sternum* magnum, paullo latius quam longius, apice postico angusto inter coxas 4.<sup>i</sup> paris producto. *Mandibulae* plus duplo longiores quam latiores, sub-cylindratae, femoribus anticis paullo crassiores. *Palpi* modice longi, clava crassa, femoribus anticis plus duplo crassiore; pars femoralis angusta et cylindrata est, circa 5.plo longior quam latior, pars patellaris saltem ejus crassitie sed parum longior quam latior, pars tibialis a latere visa antice oblique truncata, itaque, superius, parte patellari duplo longior et triplo-quadruplo latior, pateri-formis fere, desuper visa rotundata sed antice, intus, profunde et oblique excisa; pars tarsalis parte tibiali non parum longior sed parum latior est, basi truncata, apice late rotundata, dimidiato-elliptica fere. Bulbus satis complicatus. *Pedes* modice longi, graciles, metatarsi anteriores tibia paullo breviores sunt, tarsi anteriores metatarso non duplo breviores. Setis vel potius aculeis gracillimis muniti sunt pedes, saltem singula subter in femoribus, singula supra in patellis, binis vero supra in tibiis, excepto in tibiis 4.<sup>i</sup> paris, ubi modo singulam ejusmodi setam supra video: his setis sive aculeis longis, diametro internodii, cui insistunt, non parum longioribus.

*Color.* — *Cephalothorax* ferrugineo-rufus, tuberculo partis cephalicae supra pallido; *sternum* et *partes oris* ferruginea. *Palpi* luteo-rufi, clava fusco-ferruginea. *Pedes* lutei, apice paullo pallidiores, coxis et geniculis flavo-testaceis, setis fortioribus nigris. *Abdomen* nigricanti-cinereum.

Generis *Nerienes*, Blackw., ut hoc genus nuper a Cel. Simon (H. N. des Araignées, 2.<sup>e</sup> Ed. I, p. 666) definitum fuit, haec nostra species esse videtur.

Mas singularis, ad Bhamò inventus.

\*\* 119. **E. fasciata**, n., *cephalothorace picco-rufa, forma ordinaria, palpis et pedibus flavo-testaceis, setis pedum sat longis; serie oculorum postica a fronte visa deorsum, serie antica sursum curvata, area oculorum mediorum paullo longiore quam latiore, et paullulo latiore postice quam antice; apice postico sterni inter coxas posticas*

*producto lato et truncato; abdomine nigro, fasciis longitudinalibus 4 olivaceo-testaceis, una secundum dorsum, una in utroque latere, quarta secundum ventrem ornato. — ♀ ad. Long. circa 2 millim.*

FEMINA. — *Cephalothorax* inverse ovatus, circa dimidio longior quam latior, utrinque anterieus modo leviter sinuato-angustatus, ad longitudinem modice convexus, dorso paene recto; ut *sternum* omnium subtilissime coriaceus et nitidus est cephalothorax. parte cephalica anteriora versus modice angustata, fronte leviter rotundata. Altitudo clypei humilis longitudine mandibularum circa triplo minor est, et longitudinem areae oculorum mediorum circiter aequat. Series *oculorum* postica deorsum curvata est, desuper visa parum recurva, series antica paullo fortius sursum curvata, desuper visa fortius recurva. Oculi sat magni; oculi postici paene aequales, medii antici reliquis paullo minores. Area oculorum mediorum paullo longior est quam latior, et paullulo latior postice quam antice; oculi medii postici spatio modo dimidiam suam diametrum aequante separati sunt, a mediis anticis vero spatio totam hanc diametrum aequante, et non longius a lateralibus posticis quam inter se remoti; medii antici spatio modo minuto inter se et a lateralibus anticis distant. *Sternum* saltem aequale latum ac longum, apice postico inter coxas 4.<sup>1</sup> paris (spatio earum latitudinem aequante separatas) pertinente lato et truncato. *Mandibulae* sub-ovatae, vix duplo longiores quam latiores, femoribus anticis saltem duplo longiores. *Pedes* graciles, non longi dicendi, setis sive aculeis gracillimis, quibus muniti sunt, longioribus (diametro internodii, cui insistent, majoribus). Metatarsi anteriores tibia vix vel non breviores, tarsi anteriores metatarso breviores. *Abdomen* inverse ovatum vel sub-ellipticum, saltem dimidio longius quam latius.

*Color.* — *Cephalothorax* piceo-rufus, *sternum* rufescenti-piceum. *Mandibulae* rufescentes, *maxillae* sub-testaceae. *Palpi* et *pedes* flavo-testacei. *Abdomen* nigrum, fasciis quattuor longitudinalibus olivaceo-testaceis ornatum, quarum tres superiores, una dorsualis et duae laterales, paullo inaequales sunt, media earum posteriora versus angustato-acuminata et supra mamillas in maculam dilatata, quarta, ventralis, sat lata, circum vulvam non parum

dilatata, et postice, ubi breviter acuminata desinit, minus fortiter dilatata. *Mamillae* nigrae.

Femina singula ad Bhamò inventa est.

Nescio cui generi eorum, quae nuper a Cel. Simon aliisque instituta sunt, haec species, quae colore abdominis facile agnoscitur, sit subjicienda.

\*\* 120. *E. mollicula*, n., *cephalothorace humili, non multo longiore quam latiore, sordide fusco-testaceo; serie oculorum postica deorsum curvata, desuper visa recta, serie antica recta; oculis mediis posticis longius inter se quam a lateralibus posticis remotis, mediis anticis parvis et inter se paene contingentibus multo longius a lateralibus anticis quam inter se remotis; abdomine sordide cinereo-testaceo, vittis nonnullis latis transversis nigris et, supra anum, macula albicanti ornato.* — ♂ ♀ ad. Long. ♂ paene 3, ♀ paullo plus 3 millim.

MAS. — *Cephalothorax* circa  $\frac{1}{4}$  longior quam latior, humilis, utrinque antice evidentissime sinuato-angustatus, parte thoracica in lateribus ample rotundata, parte cephalica brevi, anteriora versus paullo angustata, latitudine clypei dimidiam latitudinem partis thoracicae vix aequante. Altitudo clypei longitudine areae oculorum mediorum non parum major est, longitudine mandibularum circa duplo minor. Series *oculorum* postica modice deorsum curvata est, desuper visa recta; series postica recta. Oculi postici fere aequales; medii postici, spatio eorum diametrum aequante separati et reliquis oculis majores, evidenter longius inter se quam a lateralibus posticis distant. Area oculorum mediorum paullo latior postice quam longior est, et multo (duplo) latior postice quam antice. *Sternum* evidenter longius quam latius, apice postico, inter coxas posticas late disjunctas pertinenti, brevi, lato et postice truncato. *Mandibulae* duplo longiores quam latiores, femoribus anticis non crassiores. *Palpi* sat longi, clava femur anticum non crassitie superante. Pars femoralis gracilis, cylindrata et circa triplo longior quam latior, pars patellaris ejus crassitie, modo paullo longior quam latior: pars tibialis parte patellari paullo crassior et brevior est, versus apicem truncatum

semim dilatata; pars tarsalis sub-ovata, angusta, prioribus duabus partibus paullo angustior et iis conjunctim non parum longior, ad basin extus lamella sub-transversa et rotundata aucta, quae in medio antice in dentem parvum porrectum nigrum exit. Bulbus parvus, non multo complicatus. *Abdomen* brevius ovatum, ut *pedes* pilis et setis sat longis sub-hirsutum.

*Color.* — *Cephalothorax* et *sternum* sordide fusco-testacea, *pedes* rufescenti-testacei, basi latissime clariores, sub-testacei. *Palpi* obscure testacei. *Abdomen* sordide cinereo-testaceum, vittis quinque transversis latis nigris, quarum prima in medio abrupta est, ornatum; mox supra anum maculam albicantem ostendit. Venter secundum medium nigricans. *Mamillae* sub-testaceae.

Lg. corp. paene 3; lg. cephaloth.  $1\frac{1}{2}$ , lat. ej.  $1\frac{1}{4}$ ; lg. abd. paene 2, lat. ej.  $1\frac{1}{4}$  millim. Ped. I  $7\frac{1}{2}$ , II  $5\frac{3}{4}$ ? III  $4\frac{1}{2}$ , IV saltem  $3\frac{3}{4}$  millim.

FEMINA mari simillima est, modo paullo major: long. corporis ejus paullo plus 3 millim. est; lg. cephaloth.  $1\frac{1}{2}$ , lat. ej.  $1\frac{1}{4}$ ; lg. abd.  $2\frac{1}{2}$ , lat. ej.  $1\frac{3}{4}$  millim. Ped. I 7 millim. longi.

Marem et feminas duas in montibus Carin Ascuii Chebà collegit Fea.

De « novo » genere etiam hujus speciei incertus sum: quoad staturam et colorem cum *Piesocalo javano*, Sim. (H. N. d. Araignées, 2.º Ed., I, p. 635) satis convenire videtur.

#### Gen. **Linyphia** (LATR.) 1804.

\*\* 121. **L. macella**, n., *cephalothorace cum mandibulis testaceo-rufo, palpis rufo-testaceis, clava magna complicata nigricanti; pedibus rufo-testaceis, femoribus saltem posticis apice late cum tibiis paene totis nigricantibus, aculeis pedum paucis brevissimis nigris; abdomine sub-cylindrato, duplo longiore quam latiore, postice nigro, antice late sub-olivaceo, fascia vel macula lata deorsum directa olivaceo-cinerea in utroque latere pone medium notato.* — ♂ ad. Long. circa 4 millim.

MAS. — *Cephalothorax* duplo longior quam latior est, anteriora versus modo paullo acclivis, dorso paene recto, impressionibus

cephalicis distinctissimis, fovea centrali longa et sat forti, lateribus partis thoracicae modice rotundatis, parte cephalica anteriora versus sensim angustata; frons dimidiam partem thoracicam latitudine fere aequat. Clypeus directus; altitudo ejus longitudinem areae oculorum mediorum plus duplo major est, longitudine mandibularum minor. Series *oculorum* postica sat fortiter deorsum curvata est, desuper visa modo leviter procurva, paene recta; series antica a fronte visa recta est. Area oculorum mediorum plus duplo latior est postice quam antice, et evidenter paullo latior postice quam longior. Oculi medii postici, spatio saltem duplam diametrum suam aequante separati, reliquis oculis parvis non parum majores sunt et paullo longius inter se quam a lateralibus posticis remoti; medii antici minuti, inter se spatio modo parvo, oculi diametrum paullo superante, sejuncti, a lateralibus anticis multis partibus longius quam inter se remoti sunt. *Sternum* paullo longius quam latius. *Mandibulae* circa duplo longiores quam latiores, femoribus anticis non multo crassiores, deorsum directae et paullo reclinatae, apice angustatae. *Palpi* graciles; pars femoralis cylindrata et saltem quadruplo longior quam latior, pars patellaris vix longior quam latior; pars tibialis a basi ad apicem sensim dilatata, et parte patellari paullo crassior et longior, pilis longis nigris sparsa; clava magna, bulbo valde complicato. *Pedes* longi et graciles, aculeis paucis brevibus et gracilibus armati, singulo supra in patellis, binis longe inter se remotis supra in tibiis et uno alterove in lateribus tiliarum: metatarsi, qui tibiis non parum longiores sunt, saltem binos aculeos supra et singulum inferius ostendunt. *Abdomen* duplo longius quam latius, sub-cylindratum, postice obtusum, paullo altius posterius quam antierius.

*Color.* — *Cephalothorax* cum *sterno* et *partibus oris* testaceo-rufus, *pedes* rufo-testacei, femoribus posticis apice late, cum tibiis posticis paene totis, nigricantibus, aculeis pedum nigris. *Abdomen* postice sat late nigrum, antice multo latius sub-olivaceum, fascia lata deorsum directa paullo obliqua olivaceo-cinerea in utroque latere pone medium (apud partem abdominis nigram) notatum, quae fasciae vitta transversa media ejusdem coloris in dorso



conjunctae videntur, hac pictura tamen minus distincta. Venter nigro-olivaceus. *Mamillae* cinereo-olivaceae.

Lg. corp. 4; lg. cephaloth. 2, lat. ej.  $1\frac{1}{2}$ , lat. clyp. paene 1; lg. abd. paullo plus 2, lat. ej. paene 1 millim. Ped. I 11, II 8, III  $5\frac{1}{2}$ , IV  $7\frac{3}{4}$  millim.

Singulum exemplum masculinum ad Bhamò est inventum.

\*\* 122. *L. multidens*, n., *cephalothorace fusco, anguste nigro-marginato, sulco unguiculari mandibularum in utroque margine serie dentium 5 armato; pedibus testaceis, posterioribus pedibus saepe ad partem nigricantibus; abdomine ovato-cylindrato, apice postico dorsi crasso et obtuso paullo retro supra mamillas producto: ad colorem nigro, pone medium vitta longa angusta transversa alba, paullo recurva et in medio abrupta, deorsum per utrumque latus ad ventrem ducta ornato, et ante eam maculis paucis albis notato, utrinque vero paullo pone eam, in medio utriusque lateris, vitta vel macula transversa alba brevi, denique maculis paucis ejusdem coloris.* — ♀ ad. Long.  $4\frac{1}{2}$  millim.

FEMINA. — *Cephalothorax* paullo plus dimidio longior quam latior, forma in hoc genere solita, impressionibus cephalicis distinctis, fovea centrali oblonga et forti. Latitudo clypei dimidiam partis thoracicae latitudinem paullo superat; altitudo ejus longitudine areae oculorum mediorum non parum major est, et longitudine mandibularum paene dimidio minor. Series *oculorum* postica non parum deorsum est curvata, series antica a fronte visa recta; area oculorum mediorum paullo latior est postice quam longior et duplo latior postice quam antice. Oculi medii postici reliquis paullo majores sunt et paullo longius inter se quam a lateralibus posticis sejuncti, medii antici reliquis oculis minores et longius inter se quam a lateralibus anticis remoti. *Sternum* longius quam latius, ovato-triangulum, opacum, apice postico angusto inter coxas 4.<sup>1</sup> paris producto. *Mandibularum* margo tum inferior quum superior serie dentium quinque est armatus. *Maxillae* parum longiores quam latiores. *Pedes* graciles, aculeis nonnullis gracilibus (etiam in metatarsis) armatis; longitudine ita: I, II, IV, III se excipiunt. *Abdomen* saltem dimidio longius quam latius,

ovato-cylindratum, paullo altius posterius quam anterius; dorsum ejus rectum apice postico crasso et obtuso paullo retro supra mamillas pertinet. *Vulva* ex fornice ampla, postice truncata et sulco forti transverso prope apicem posticum praedita constat, hac parte apicali impressione brevi longitudinali quasi bipartita; subter fornix vulvae septo deorsum directo in duas fornices (a tergo visas apertas) divisa est.

*Color.* — *Cephalothorax* clarius vel obscurius fuscus est, margine laterali anguste nigro. *Sternum* nigrum vel nigro-fuscum. *Mandibulae* fuscae, interdum apice oblique testaceae vel rufescentes. *Maxillae* basi nigricantes, apice extus late testaceae. *Labium* nigricans. *Palpi* obscure testacei, apice plus minus late nigricantes. *Pedes* ad maximam partem laete testacei, posteriores praesertim saepe umbra vel annulo nigricante in femoribus internodiisve insequentibus notati, coxis et basi femorum tum testaceis. *Abdomen* nigrum, vitta longa transversa alba paullo retro fracta et in medio dorso anguste abrupta, deorsum per latera et usque ad ventrem extensa pone medium notatum, et maculis plerumque 4 parvis albis ante eam; paullo pone eam vero, in utroque latere, vitta vel linea (macula oblonga) brevior alba cum ea parallela, vel maculis 2-4 in seriem transversam sub apice dorsi ordinatis, et denique, supra anum, maculis duabus plerumque obliquis albis. Venter niger. *Mamillae* nigricantes.

Lg. corp.  $4 \frac{1}{2}$ ; lg. cephaloth.  $2 \frac{1}{4}$ , lat. ej.  $1 \frac{1}{2}$ , lat. clyp. paullo plus 1; lg. abd.  $2 \frac{1}{4}$ , lat. ej.  $1 \frac{3}{4}$  millim. Ped. I  $9 \frac{1}{4}$ , II 8, III? IV  $7 \frac{1}{4}$ ? millim.

Feminas paucas, plerasque juniores et mutilatas, ad Bhamò collegit Fea.

### Tribus ORBITELARIAE.

#### Fam. ULOBORIDAE.

Gen. **Miagrammopes**, CAMBR., 1869.

123. **M. albo-maculatus**, Thor., 1891. Palòn.

124. **M. Cambridgei**, Thor., 1887. Palòn.

Gen. **Uloborus** (LATR.) 1806.

125. **U. geniculatus** (Oliv.), 1789. Rangoon, Palòn, Toungoo.  
 126. **U. omoedus**, Thor., 1895. Bhamò.  
 127. **U. mollis**, Thor., 1895. Bhamò.  
 128. **U. nasutus**, Thor., 1895. Bhamò.

\*\*129. **U. pictus**, n., *cephalothorace fusco, linea media longitudinali postica alba notato et pube crassu albicanti tecto; area oculorum mediorum longiore quam latiore et latiore postice quam antice; pelibus cinerascensibus, sub-fusco-annulatis; abdomine fere duplo longiore quam latiore antice, ubi dorsum ejus utrinque angulum humerale ostendit, fascia lata obliqua alba postice abbreviata, retro et deorsum ab angulis humeralibus ducta picto, et, inter has fascias, maculis nonnullis albis secundum dorsum ornato, quarum quattuor reliquis majores quadratum posterius in dorso formant.* — ♀ ad. Long.  $4\frac{1}{2}$  millim.

FEMINA. — *Cephalothorax* non parum longior quam latior, fevea centrali forti, transversa; impressionibus cephalicis vix ullis, dorso posterius convexo, anterieus recto, parte thoracica in lateribus fortiter rotundata, in medio postice incisa, parte cephalica ante oculos medios posticos leviter transversim impressa, area oculorum mediorum modo paullulo proclivi; latitudo clypei dimidiam latitudinem partis thoracicae paene aequat. *Oculi* omnes parvi, praesertim laterales antici; oculorum series ambo sat fortiter recurvae sunt, series antica a fronte visa deorsum curvata; series antica paullo longior quam postica est, oculi bini laterales paullo longius inter se remoti quam oculi medii antici a mediis posticis; area oculorum mediorum paullo latior est postice quam antice et paullo longior quam latior postice; oculi medii postici paullo longius inter se quam a lateralibus posticis distant. *Oculi* medii antici, tuberculo communi impositi, anteriora versus spectant. *Mandibulae* femoribus anticis paullo angustiores. *Pedes* ita: I, IV, II, III longitudine se excipere videntur (1.<sup>i</sup> paris tamen pedibus

4.<sup>i</sup> paris vix longiores), 1.<sup>i</sup> paris reliquis paullo fortiores; aculei carent pedes, pube sat densa cinerascenti in partibus pallidis vestiti; tibiae anteriores secundum totam longitudinem subter « fimbria » sat densa praeditae sunt. *Abdomen* fere duplo longius quam latius, oblongo-ovatum, antice rotundato-truncatum et hic utrinque angulo sive tuberculo humillimo praeditum, posteriora versus sensim angustatum et humilius, a latere visum igitur sub-triangulum, dorso tamen ad longitudinem leviter convexo. Margo anterior *vulvae* spinis duabus pallidis divaricantibus et paullo foras curvatis armatus est.

*Color.* — *Cephalothorax* obscure fuscus, pube crassa albicanti sat dense vestitus, fascia albicanti-cinerea anteriora versus angustato-acuminata a petiolo ad centrum cephalothoracis pertinente notatus. *Sternum* obscure fuscum. *Pedes* pallide cinerascens annulis sub-fuscis sat dense cinctis et variatis: in pedibus 1.<sup>i</sup> paris femora, patellae et tibiae, harum basi anguste pallida excepta, obscure fusca sunt, metatarsi pallidius fusci, non annulati. *Abdomen* supra et in lateribus nigricans est, fascia obliqua lata alba, postice abbreviata, ab angulis humeralibus retro et deorsum ducta in utroque latere ornatum, quae antice, postice et subter macula sat magna nigra limitata esse potest; inter has duas fascias et posterius in dorso maculis nonnullis albis, plerisque in paria dispositis, notatum est abdomen, quarum 4 majores, rotundatae vel paullo inaequales, quadratum in dimidio dorsi posteriore designant: apex abdominis rufescenti-pilosus est. Venter obscure cinerascens. *Mamillae* fusco-testaceae, superiores macula rotundata nigra supra notatae.

Lg. corp.  $4\frac{1}{2}$ ; lg. cephaloth.  $1\frac{1}{2}$ , lat. ej.  $1\frac{1}{4}$ , lat. clyp.  $\frac{5}{8}$  millim.; lg. abd.  $3\frac{1}{2}$ , lat. ej. paene 2 mill. Ped. I circa 5 millim. longi.

Exempla duo feminea ad Palòn invenit Clar. Fea.

Gen. **Philoponus**, THOR., 1857.

\*\* 130. **Ph. cubicus**, n., *cephalothorace in fundo nigro-fusco, margine anguste et fascia media longitudinali postice in maculam dilatata pallidis; pedibus flavo-testaceis basi nigro-maculatis, tibiis*

1.<sup>1</sup> paris apice late fuscis et fimbriatis, pilis fimbriae inferioris oblique detonsae praesertim longis; abdomine multo altiore quam latiore, paene cubico, dorso postice tubercula duo obtusa retro directa formante, sub-testaceo, semicirculo nigro in declivitate antica, macula oblonga nigra secundum medium dorsi et fascia vel fasciis duabus nigris a tuberculis illis nigricantibus deorsum ad anum ductis ornato. — ♀ ad. Long.  $3\frac{1}{2}$  millim.

FEMINA. — *Cephalothorax* fere inverse cordiformis, modo paullo longior quam latior, postice convexus, dorso a latere viso anterius cum area oculorum mediorum recto et proclivi, fovea centrali maxima, antice rotundata, partem majorem declivitatis cephalothoracis posticae occupante; impressiones cephalicae nullae. Clypeus humillimus; latitudo ejus dimidiam cephalothoracis latitudinem vix aequat. Area *oculorum* magna. Oculi antici minuti: series quam formant a fronte visa recta est, series oculorum posticorum, qui non parum sunt majores, sat fortiter est recurva et non parum longior quam series anticorum. Area oculorum mediorum multo latior est postice quam antice et saltem aequae lata postice ac longa; oculi medii postici paullo longius inter se quam a lateralibus posticis distant. *Sternum* fuscum. *Maxillae* et labium fusca, illae pallido-marginatae, hoc apice pallidum. *Pedes* ita: I, II, IV, III longitudine se excipiunt; in pedibus 1.<sup>1</sup> paris femora et tibiae, illa intus, hae supra et subter, versus apicem, fimbriata sunt. *Abdomen* forma insolita, quasi cubicum, paene duplo altius quam latius et longius, a latere visum antice et postice altissime truncatum, dorso a latere viso sat leviter convexo, utrinque postice in tuberculum obtusum retro directum producto, declivitate postica pone haec tubercula altissima et valde praeupta. Venter ut in aliis formis gen. *Philoponi* valde convexus vel potius inflatus est.

*Color.* — *Cephalothorax* nigro-fuscus, fascia media longitudinali pallida, quae pone medium in maculam magnam rotundatam dilatata est, margine quoque anguste pallido; pube sat crassa cinerascenti et ad partem rufescenti vestitus est. *Palpi* et *pedes* flavo-testacei; pedes 1.<sup>1</sup> paris coxas et trochanteres nigros vel nigro-maculatos habent. Tibiae huius paris, basi anguste pal-

lida excepta, latissime fuscae sunt, et supra, ubi fasciam longitudinalem nigram ostendunt, et praesertim subter pallide fusco-fimbriatae, femora in medio intus pallido-fimbriata. Fimbria subter in tibiis 1.<sup>i</sup> paris brevior est, sed e pilis longioribus formata et in penicillum obliquum detonsa, fimbria supra in his tibiis paullo longior videtur sed e pilis brevioribus aequalibus formata, ut fimbria brevior pallida intus in medio femorum 1.<sup>i</sup> paris. Omnes fimbriae e pilis ordinariis formatae videntur. In pedibus insequentibus non tantum coxae et trochanteres basi nigro-maculati sunt, verum etiam femora utrinque vel supra versus basin nigra. *Abdomen* testaceum, semi-annulo deorsum curvato nigro in declivitate antica, et ab eo secundum medium dorsi retro ducta macula vel fascia longitudinali nigra; tubercula duo dorsi postica apice quoque nigra vel nigricantia sunt: ab his tuberculis fascia duplex nigra deorsum ad anum est ducta. *Mammillae* nigrae, apice testaceae.

Lg. corp.  $3\frac{1}{2}$ ; lg. cephaloth.  $1\frac{1}{2}$ , lat. ej. circa  $1\frac{1}{4}$ ; lg. abd.  $1\frac{2}{3}$ , lat. ej.  $1\frac{1}{2}$ , alt. ej.  $2\frac{1}{4}$  millim. Ped. I c:a  $5\frac{1}{4}$  millim. longi.

Feminam singulam ad Bhamò invenit Fea.

#### Fam. TETRAGNATHIDAE.

Gen. **Tetragnatha**, LATR. 1804.

131. **T. mandibulata**, Walck., 1844. Carin. Chébà.

132. **T. gracilis** (Stol.), 1868. Bhamò.

133. **T. Hasseltii**, Thor., 1890. Var. *Birmanica*, id., 1895. Palòn. Bhamò.

134. **T. maxillosa**, Thor., 1895. Moulmein.

135. **T. geniculata**, Karsch, 1891. Palòn.

\*136. **T. hamata**, n., *cephalothorace et mandibulis rufo-testaceis, harum ungue piceo; palpis et pedibus luteo-testaceis, tarsis clarioribus; apice bulbi secundum partem tarsalem producto et ad apicem,*

*extus, in hamum fortem compressum, anteriora versus curvatum exeunte; pedibus 4.<sup>i</sup> parvis pedes 2.<sup>i</sup> parvis longitudine paullo superantibus; mandibulis cephalothorace parum brevioribus, sub-clavatis, apice truncato spinoso-dentato, dentibus sulci unguicularis praeterea sat parvis; ungue mandibulae mutico; abdomine angusto, cylindrato, multis partibus longiore quam latiore. — ♀ ad. Long. 11 millim.*

MAS. — *Cephalothorax* duplo et dimidio longior quam latior, clypeo parte thoracica, quae in lateribus anterieus leviter rotundata est, evidenter angustiore; dorsum a latere visum in medio paullo depressum est, anterieus sensim paullo acclive, impressiones cephalicae fortes, fovea ordinaria centralis fortis et rotundata. *Oculi* medii postici reliquis majores sunt, laterales antici reliquis minores. Series oculorum antica vix longior quam postica, sursum curvata et (paullo fortius quam illa) recurva; medii postici spatio diametrum suam aequante separati sunt, inter se paullo longius quam a lateralibus posticis remoti; medii antici, qui cum mediis posticis quadratum formant, parum longius a lateralibus anticis quam inter se distant. *Mandibulae* cephalothorace modo paullo breviores, fortiter divaricantes, a basi ad apicem sensim paullo incrassatae et basi foras curvatae, apice truncatae, latere exteriori recto, interiori leviter convexo; prope apicem supra dente forti, paullo procurvo, sensim acuminato, summo apice tamen oblique truncato et sub-emarginato armatae sunt, et sub eo, magis ad latus exterius, dentibus duobus fortibus acuminatis, cum quibus series inferior sulci unguicularis initium capit; pone eos, spatio sat magno ab iis remota, sequitur series dentium circa 7 sensim magnitudine decrequentium, quorum ultimi minuti, immo minutissimi sunt. Series superior initium capit cum dentibus duobus vel tribus parvis oblique prope ipsam basin unguis positis et inter se et cum tertio maximo conico proximis, quos sequitur, spatio magno ab hoc dente separata, series dentium 6 mediocrium sensim decrequentium: primus horum 6 dentium paullo pone 3.<sup>m</sup> seriei inferioris locum tenet. Unguis fortis, non dentatus, prope basin intus fractus, dein ante medium modice incurvus, parte media paene recta, apice unguis brevi

sensim angustato-acuminato, modice incurvo et granulo uno alterove inaequali. *Palpi* longi et graciles, praesertim pars eorum femoralis. Pars patellaris angustissime ovata, circa triplo longior quam latior. Pars tibialis parte tibiali paullo brevior est, a basi angusta sensim usque ad apicem dilatata, circa duplo longior quam latior apice; pars tarsalis in laminam angustam, extus ad apicem excisam ante bulbum producta est; ramus ejus exterior parte tarsali plus duplo brevior et bulbo arcte applicatus; apex bulbi in procursum angustum basi convolutum secundum partem tibialem anteriora versus protensum exit, qui prope apicem extus ad rectos angulos in hamum fortem, compressum, anteriora versus curvatum exit, ipso apice ante basin hami in spinam gracilem porrectam leviter incurvam exeunte. *Pedes* longi, graciles, valde inaequales, ita I, IV, II, III longitudine se excipientes, 3.<sup>ii</sup> paris pedibus 4.<sup>i</sup> paris paene 4.plo, 2.<sup>i</sup> et 4.<sup>i</sup> parium iis duplo breviores. *Pedes* anteriores, aculeis paucioribus non longis gracilibus (saltem 4 utrinque in femoribus) armati sunt, pedes posteriores quoque uno alterove aculeo gracili instructi. *Abdomen* cylindratum, angustum, circa 7.plo longius quam latius.

*Color.* — *Cephalothorax* rufo-testaceus, summo margine laterali nigro, impressionibus cephalicis et fovea centrali nigricantibus; mandibulae rufo-testaceae, ungui piceo. *Sternum* cum *maxillis* fusco-testaceum, *labium* piceum. *Pedes* luteo-testacei, basi flavo-testacei. *Abdomen* cinereo-testaceum, fasciis duabus longitudinalibus posterius inter se confusis paullo obscurioribus et punctis minutis flaventibus vel aureis dense conspersis secundum totum dorsum extensis ornato; venter quoque duabus fasciis longitudinalibus rufescentibus, una utrinque, notatus est.

Lg. corp. 11; lg. cephaloth.  $3\frac{1}{4}$ , lat. ej.  $1\frac{1}{2}$ , lat. clyp.  $1\frac{1}{4}$ ; lg. abd., 8, lat. ej.  $4\frac{1}{4}$  millim. Ped. I 33, II 18, III 9, IV 19 millim.

Mas singulus, in montibus Carin Chebà Birmaniae inventus.

\*\* 137. *T. tridens*, n., *cephalothorace fusco-testaceo, modo duplo longiore quam latiore, fovea centrali transversa; serie oculorum antica breviora quam postica, arca mediorum paene duplo latiore*



postice quam antice; mandibulis sub-cylindricis, oblique deorsum et anteriora versus directis, cephalothorace brevioribus et circa triplo longioribus quam latioribus, praeter ordinibus duobus ordinariis dentium minorum sulci unguicularis prope apicem supra dentibus tribus armatis, quorum primus (extimus) magnus, procurvus et summo apice bifidus vel emarginatus est, duo reliqui conici, secundus (medius) mediocris, tertius magnus et intus directus; pedibus longis et gracilibus, testaceis, apice metatarsorum et tarsorum nigro; abdomine cylindrato, nigricanti-olivaceo, maculis minutis albican-  
tibus variato et linea media longitudinali nigra in dorso notato. —  
♂ ad. Long. circa  $5\frac{1}{4}$  millim.

MAS. — *Cephalothorax* circa duplo longior quam latior, clypeo parte thoracica evidenter paullo angustiore; impressiones cephalicae fortes sunt, fovea centralis transversa, profunda. *Oculorum* series postica desuper visa paene recta est, modo levissime recurva, a fronte visa levissime deorsum curvata; series antica desuper visa sat fortiter recurva est, a fronte visa modice sursum curvata: series antica serie postica paullo brevior est. Oculi bini laterales spatio minuto sejuncti sunt, laterales antici reliquis paene aequalibus multo minores. Area mediorum multo, paene duplo, latior est postice quam antice, et multo latior postice quam longior; medii postici, spatio eorum diametro multo, paene duplo, majore sejuncti, vix longius inter se quam a lateralibus posticis distant; medii antici, spatio eorum diametrum vix aequante separati, circa triplo longius a lateralibus anticis quam inter se remoti sunt. *Mandibulae*, cephalothorace circa dimidio breviores, paullo divaricantes, deorsum et anteriora versus directae, paene cylindricae, circa triplo longiores quam latiores, latere interiore leviter convexo-arcuato, exteriori paene recto; prope apicem supra dentibus tribus armatae sunt, quorum unus, magis extus situs, fortis, longus et paullo procurvus est, ipso apice truncato leviter bifido vel emarginato, secundus, magis intus situs, conicus et mediocris, tertius, etiam magis intus et paullo magis retro locatus, magnus, conicus et intus directus est. Paullo ante et sub his dentibus tribus, seriem transversam fere formantibus, series dentium sulci unguicularis superior initium capit, quae

series ex 6 dentibus sat parvis, conicis constare videtur, spatio inter 3.<sup>m</sup> et 4.<sup>m</sup> sat magno, reliquis spatiis multo majore. Series inferior ex dentibus 6 (vel pluribus?) sat parvis, conicis, et spatiis sub-aequalibus separatis formata est. Unguis muticus. *Palpi* graciles, sat breves. Pars femoralis cylindrata et leviter deorsum curvata partes palpi insequentes longitudine circiter aequat: pars patellaris ea multis partibus brevior est, vix plus duplo longior quam latior; pars tibialis parte patellari circa duplo longior, a basi ad apicem sensim incrassata, circa duplo longior quam latior apice; pars tarsalis parte tibiali paullo longior, ramo exteriore non multo ante bulbum pertinente. Apex bulbi sub-ovati spinam brevioris, fortem, compressam, paullo tortuosam format. *Pedes* sat longi, gracillimi, aculeis sat multis gracilibus et longis (diametro internodii, cui insistent, duplo et triplo longioribus) armati. *Abdomen* angustum, cylindratum, plus triplo longius quam latius.

*Color.* — *Cephalothorax*, *mandibulae* et *maxillae* fusco-testaceae. *Sternum* obscurius fusco-testaceum. *Palpi* et *pedes* testacei, eorum bulbis rufescens; apex metatarsorum cum apice tibiaram angustissime nigri. Aculei pedum nigri. *Abdomen* nigricanti-olivaceum, linea longitudinali nigra secundum medium dorsi, et maculis minutis albicantibus variatum.

Lg. corp.  $5\frac{3}{4}$ ; lg. cephaloth. paullo plus 2, lat. ej.  $1\frac{1}{3}$ , lat. clyp. paene  $1\frac{1}{4}$ ; lg. abd.  $3\frac{3}{4}$ , lat. ej. paullo plus 1 millim. Ped. I 19, II  $11\frac{1}{3}$ , III  $4\frac{1}{2}$ , IV  $10\frac{1}{2}$  millim.

Mas singulus, ex Meetan (Tenasserim).

Gen. **Limoxera**, THOR., 1890.

138. **L. jejuna**, Thor., 1897. Malewoon.

139. **L. chauliodus**, Thor., 1890. Bhamò.

Fam. EPEIRIDAE.

Gen. **Artonis** THOR., SIM., 1895<sup>(1)</sup>

(= *Anania*, THOR., olim).

140. **A. bituberculata**, Thor., 1895. Palòn.

(<sup>1</sup>) Conf. Simon, II. N. d. Araignées. Ed. 2, I, 4, p. 922.

Gen. **Argyroëpeira**, EMERT., 1884.

141. **A. ditissima**, Thor., 1887. Palòn, Bhamò.  
 142. **A. leprosa**, Thor., 1895. Palòn.  
 143. **A. ventralis**, Thor., 1887. Rangoon, Palòn, Bhamò.  
 144. **A. Celebesiana** (Walck.), 1841. Palòn, Bhamò, Malewoon.  
 145. **A. tessellata**, Thor., 1887 (*Callinethis tessellata*. id., *olim*).  
 Palòn, Bhamò.

Gen. **Callinethis**, THOR., 1887.

146. **C. elegans**, Thor., 1887. Palòn.

Gen. **Tylorida** SIM., 1894.

(= *Argyroëpeira*, THOR., *ad partem, olim*.)

147. **T. striata** (Thor.), 1877. Palòn, Bhamò.

Gen. **Timonocè** (?), n. gen.

*Cephalothorax* antice satis angustatus, clypeo humillimo.

*Oculi* sat magni; series eorum postica leviter deorsum curvata, desuper visa levissime recurva; series antica modice sursum curvata, desuper visa modice recurva. Area oculorum mediorum saltem aequae longa ac lata antice, paullo latior antice quam postice; medii antici reliquis oculis majores. fere aequae longe inter se atque a lateralibus anticis remoti: medii postici longius a lateralibus posticis quam inter se remoti, ubi spatio diametro sua evidenter minore separati sunt.

*Sternum* triangulum, aequae latum ac longum, apice postico brevi inter coxas 4.<sup>i</sup> paris paullo pertinens.

*Pedes* breves, paene eadem longitudine inter se, aculeis nonnullis (etiam in metatarsis) armati; femora 4.<sup>i</sup> paris non ciliata.

(?) Τιμονόκη, nom. propr. mythol.

*Abdomen* brevius, ellipticum, obtusum, crassum.

Typus: *T. argenteo-zonata*, n.

Distributione paullo alia oculorum, pedibus brevibus et femoribus posticis ciliis longis carentibus hoc genus praesertim ab *Argyropeira*, *Callinethi*, *Tylorida* et affinibus distinguendum est.

\*\*148. *T. argenteo-zonata*, n., *cephalothorace piceo, pedibus flavo-testaceis, posticis pedibus paullo nigro-maculatis; abdomine nigro, vittis tribus latis transversis argenteis ornato, quarum prima et secunda recurvae sunt, illa in medio profunde incisa, haec in medio abrupta, tertia procurva et in medio margine antico late et profunde emarginata, omnes in utroque latere in fasciam longitudinalem conjunctae; ventre nigro.* — ♀ ad. Long. paullo plus 3 millim.

FEMINA. — *Cephalothorax* inverse ovatus, circa dimidio longior quam latior, utrinque anterieus sat fortiter sinuato-angustatus, impressionibus cephalicis distinctis, fovea centrali longa, magis retro locata, area oculorum mediorum proclivi. Latitudo clypei vix dimidiam latitudinem partis thoracicae aequat; altitudo ejus longitudine areae oculorum mediorum duplo, longitudine mandibularum multis partibus minor est. Sulcus unguicularis *mandibularum* in margine superiore seriem dentium 3 majorum inaequalium, in margine inferiore seriem dentium circa 4 minorum habere videtur. *Maxillae* non longiores quam latiores. *Labium* brevissimum, transversum. *Pedes* breves, sat fortes, ad longitudinem parum inter se differentes (ut videtur, ita: I, II, IV, III longitudine se excipientes); 1.<sup>i</sup> paris circa 4 1/2 millim. longi sunt. Femora postica non ciliata. Unguiculi tarsorum superiores dentibus nonnullis obliquis densissimis versus basin unguiculi magnitudine cito decrescentibus armati sunt, unguiculus inferior modo duos dentes breves et obtusos ad basin ostendit; praeterea duos unguiculos auxiliares longos et serrato-dentatos in apice tarsi video. *Abdomen* vix dimidio longius quam latius, crassum, antice et postice obtusum. *Vulva* ex area parva elevata inaequali obscura constare videtur, cujux apex nitidus ferrugineus retro directus sulco profundo longitudinali in duas partes divisus est.

*Color.* — *Cephalothorax* et *sternum* picea, *partes oris* quoque picea. *Palpi* flavo-testacei, apice infuscati; *pedes* flavo-testacei: in pedibus 4.<sup>i</sup> paris femora ad apicem utrinque maculam nigram ostendunt, patellae intus macula vel stria ejusmodi sunt notatae, et tibiae saltem hujus paris apice utrinque nigrae sunt et tarsi apice anguste (metatarsi modo summo apice) nigri. *Abdomen* nigrum, vittis tribus transversis latis argenteo-albis in dorso ornatum, quarum prima, ad marginem ejus anticum sita, postice in medio anguste et plus minus profunde excisa est, secunda, paullo ante medium sita, ut prima recurva est, et in medio abrupta videtur; vitta tertia, apicem dorsi occupans, fortiter est procurva sive in medio margine antico late et profunde emarginata: omnes hae vittae in utroque latere, infra, in fasciam longitudinalem argenteo-albam latam et in margine superiore profunde bis incisam unitae sunt; ventre secundum medium late nigro.

Lg. corp. paullo plus 3 millim.; lg. cephaloth. paullo plus 1  $\frac{1}{2}$ , lat. ej. 1; lg. abd. paene 2  $\frac{1}{2}$ , lat. ej. paene 2 millim.

Feminam supra descriptam ad Palòn invenit Fea.

Gen. **Meta** (C. L. Koch), 1836.

\*\* 149. **M. Birmanica**, n., *cephalothorace testaceo, parte cephalica elevata nigro-fusca, limbo partis thoracicae cum sulco centrali nigricanti; sterno nigro, mandibulis crassis nigro-fuscis; pedibus testaceis, densius nigro-annulatis et nigro-punctatis; abdomine inverse ovato, circa dimidio longiore quam latiore, ad maximam partem nigricanti et opaco, cruce media alba et vitta recurva albicanti in margine antico, maculis duabus rotundis albis in medio dorso et, pone eas, serie duplici densissima macularum parvarum obliquarum sensim decrescentium albicantium, et denique, postice in utroque latere, infra, macula majore inaequali albicanti notato.* — ♀ ad. Long. 3  $\frac{1}{2}$  millim.

FEMINA. — *Cephalothorax* non parum longior est quam latior, tibia cum patella 4.<sup>i</sup> paris paullo longior, anterius utrinque minus fortiter constrictus, impressionibus cephalicis fortibus, sulco cen-

trali profundo et posterius in tres sulcos divaricantes divisus. Pars thoracica utrinque fortiter rotundata est; pars cephalica sat longa, lateribus leviter rotundatis anteriora versus paullo angustata, a latere visa modice convexa et non parum altior quam pars thoracica. *Oculi* sat magni, laterales bini inter se contingentes. Series oculorum postica desuper visa paullo recurva est, a fronte visa leviter deorsum curvata; series antica a fronte visa fortius sursum est curvata. *Oculi* medii antici mediis posticis majores sunt; *oculi* medii aream postice evidenter paullo latiore quam antice et paullo longiorem quam latiore (saltem antice) occupant. Spatium inter marginem clypei et oculos laterales anticos non parum majus est quam spatium inter hunc marginem et oculos medios anticos. Spatium inter oculos medios posticos horum oculorum diametrum saltem aequat et non parum majus est quam spatium inter medios anticos. Laterales antici spatio non parum majore a mediis anticis quam hi inter se separati sunt. *Sternum* sub-triangulum, laeve, elevationibus parum evidentibus ad coxas, apice postico obtuso inter coxas 4.<sup>i</sup> paris productum. *Mandibulae* fortes, femoribus anticis non parum crassiores, convexae, paullo plus duplo longiores quam latiores, ungue longo, forti. *Maxillae* magis deorsum quam anteriora versus directae, divaricantes, fere dimidio longiores quam latiores apice, basi satis angustae, apice late et sat leviter rotundato, labio plus duplo longiores. *Labium* paullo latius quam longius, apice late rotundato-truncatum, limbo late incrassato. *Palpi* sat graciles. *Pedes* anteriores longi (praesertim tibiis et metatarsis), tarsis sat brevibus. Aculeis paucis longioribus armati sunt et setis pilisque longis densius sparsis; femora 4.<sup>i</sup> paris ciliis subter carent. *Abdomen* saltem dimidio longius quam latius, inverse ovatum fere, opacum. *Vulva* ex fovea sat magna, parum profunda, sub-transversa formata videtur. *Mamillae* brevissimae.

*Color.* — *Cephalothorax* testaceus, parte cephalica nigro-fusca, et limbo partis thoracicae cum sulco centrali nigricanti. *Sternum* nigrum. *Mandibulae* nigro-fuscae; *maxillae* et *labium* nigra. *Palpi* testacei, parum nigro-annulati. *Pedes* testacei, nigro-an-

nulati et dense nigro-maculati: femora, tibiae et metatarsi 3 annulos nigros habent plus minus distinctos vel in maculas divulsos; patellae et tarsi apice nigricantes sunt. *Abdomen* ad maximam partem nigrum est, pallido-variatum: ad marginem anticum maculas tres oblongas albicantes ostendit, quarum media forma fere crucis est, duae laterales in vittam semi-circularem circum basin dorsi coalitae, et in medio dorso adsunt maculae duae rotundae albicantes, pone quas sequitur series duplex densissima macularum parvarum obliquarum albicantium sensim decrescentium; in utroque latere postice, infra sive in ventre, macula major inaequalis albicans conspicitur. *Mamillae* sub-testaceae.

Long. corp. ♂  $1\frac{1}{2}$  millim.; lg. cephaloth. paene 3, lat. ej. 2, lat. clyp.  $1\frac{2}{3}$ ; lg. abd.  $3\frac{1}{2}$ , lat. ej. paullo plus 2 millim. Ped. I 12, II 9, III  $4\frac{1}{4}$ , IV  $7\frac{1}{2}$ ; pat. + tib. IV  $2\frac{1}{4}$  millim.

Singula femina in montibus Carin Ghecù inventa est.

Gen. **Nephila**, LEACH, 1815.

\*\*150. **N. limbata**, n. cephalothorace dimidio longiore quam latiore, laevi, piceo, limbo laterali sat late luteo, et maculis duabus conjunctim  $\vee$  luteum in medio dorso formantibus ornato, pube densa cinereo-argentea tecto; sterno laevi, nigro, linea longitudinali flavo-testacea secundum medium, lineaque transversa ejusdem coloris ad marginem anticum notato; pedibus nigris, basi late sub-piceis, femoribus et tibiis annulo flavo-testaceo cinctis; abdomine anguste cylindrato-ovato, paullo plus duplo longiore quam latiore, a latere viso postice oblique truncato, apice dorsi non parum retro producto: ad colorem in lateribus et supra rufescenti-testaceo vel roseo, fasciis duabus longitudinalibus latis anterieus inter se confusis albicantibus in dorso ornato; ventre nigro, fasciis duabus longitudinalibus parallelis flavis a rima genitali ad maculas duas inaequales flavas posterius in ventre sitas ductis. — ♀ ad. Long. 22-13 millim.

FEMINA. — Cephalothorax dimidio longior quam latior, tuberculis vel dentibus in dorso carens, utrinque anterieus modice sinuato-angustatus, parte cephalica anteriora versus vix angu-

stata, latitudine clypei  $\frac{3}{4}$  latitudinis partis thoracicae paullo superante, impressionibus cephalicis longis et fortibus, fovea centrali transversa, longe retro locata. *Sternum* ovato-triangulum, muticum, dentibus vel elevationibus carens. *Oculi* laterales, praesertim postici, paullo longius a mediis ejusdem seriei quam hi inter se remoti. Oculi bini laterales spatio anterioris eorum diametrum aequante separati. Area oculorum mediorum paene quadrata, modo paullulo latior postice quam antice. *Mandibulae* tenuiter transversim striatae. *Pedes* sat longi, aculeis nonnullis mediocribus armati. *Abdomen* paullo plus duplo longius quam latius, cylindrato-ellipticum, antice rotundato-truncatum, in lateribus leviter rotundatum: a latere visum postice oblique truncatum est, apice dorsi obtuso non parum retro supra mamillas producto. Area *vulvae* fortiter transversim elevata et convexa in medio late nigra est et hic postice inaequalis et ad marginem posticum fovea transversa notata.

*Color.* — *Cephalothorax* piceus, limbo laterali sat lato luteo, et maculis duabus  $\nabla$  formantibus luteis, in medio cephalothoracis notatus et pube densa cinereo-argentea tectus; *sternum* nigrum, linea media longitudinali flavo-testacea, et in margine antico linea transversa ejusdem coloris notato. *Mandibulae* nigro-fuscae; *maxillae* et *labium* nigra, apice pallida. *Palpi* lutei, parte tarsali apice late nigra, parte femorali subter cinereo-argenteo-pubescenti. *Pedes* nigri, tarsis rufescenti-piceis; tibiae annulo medio lato flavo-testaceo cinctae sunt, patellae nigro-piceae vel piceae, femora inter apicem plus minus late nigrum vel piceum et basin latissime piceam vel testaceo-piceam annulo minus lato flavo-testaceo sunt cincta; coxae et trochanteres piceo-testacea. *Abdomen* supra et in lateribus rufescenti-testaceum vel (in exemplis nuper captis?) roseum, fasciis longitudinalibus duabus latis albicantibus anterieus in unam latissimam confusis secundum dorsum ornatum, ventre nigricanti fasciis duabus longitudinalibus flavis a rima genitali flavo-limbata ad suam quamque maculam inaequalem flavam in parte ventris posteriore locatam ductis ornato, et inter has maculas maculis paucis parvis flavis notato. Latera abdominis anterieus fasciam longitudinalem unam alteramve lu-



team et inaequalem postice abbreviatam plerumque ostendunt. In parte postica oblique truncata colore obscuriore, sub-olivaceo, est abdomen et maculis rotundatis liturisque inaequalibus testaceis pictum. Tota pictura flava ventris pube tenui argenteo-cinerea saltem ad partem tecta est. Scuta pulmonalia nigro-fusca annulo sat lato testaceo a vulva nigra separata sunt.

Lg. corp. 20 millim.; lg. cephaloth. 6, lat. ej. 4, lat. clyp.  $3\frac{1}{4}$ ; lg. abd. 13, lat. ej. 6 millim. Ped. I  $44\frac{1}{2}$ , II  $35\frac{1}{2}$ , III 18, IV 31 millim.

151. **N. maculata** (Fabr.), 1793. Rangoon, Prome, Palòn, Malewoon, Catcin Cauri, Carin Chebà.

152. **N. Kuhlii** (Dol.), 1859. Carin Chebà.

Gen. **Nephilengys**, L. Koch, 1872.

153. **N. Malabarensis** (Walck.), 1891. Carin Chebà, Malewoon.

Gen. **Herennia**, Thor., 1877.

154. **H. multipuncta** (Dol.), 1859. Carin Asciiui Ghecù, Malewoon.

Gen. **Argiope**, Sav., 1827.

155. **A. caesarea**, Thor., 1897. Catcin Cauri, Carin Asciiui Ghecù et Bia-pò.

156. **A. pulchella**, Thor., 1881. Teinzò, Bhamò, Rangoon, Carin Chebà et Asciiui Ghecù.

157. **A. catenulata** (Dol.), 1859. Moulmein.

158. **A. aemula** (Walck.), 1841. Palòn.

\*\* 159. **A. lepida**, n., *cephalothorace nigricanti, parte cephalica clariore; pedibus testaceis, nigricanti-annulatis, femoribus nigricantibus; abdomine breviter ovato, posteriora versus angustato et sub-acuminato, supra nigricanti, area sub-testacea antice, quae  $\wedge$  sat lato albicanti et intus nigrore repleto, et pone id  $\wedge$  alio ejusmodi notata est, area dorsi nigricanti postice aream triangulam nigram,*

*fascia cinerascenti vel sub-olivacea utrinque limitatam et utrinque crasse dentatam formante; bulbo genitali in latere exteriori procurribus duobus praedito, quorum alter, basalis, unguem longum procurvum, apice gracili nigrum format, alter procursum breviorum paene rectum, apice breviter acuminato (?) — ♂ ad. Long. circiter 4 millim.*

MAS. — *Cephalothorax* ad formam plane ut in aliis maribus generis *Argiopis* est. Area *oculorum* mediorum paullo longior quam latior, et paullulo latior antice quam postice; spatium inter oculos laterales posticos et medios posticos saltem aequae magnum atque id, quo hi inter se separati sunt. *Femora* antica antice saltem 3 aculeos et supra 2 aculeos fortes habent, subter femora inermia sunt: tibiae et metatarsi aculeis nonnullis longis sunt armata. *Palpi* breves, clava excepta graciles, partibus patellari et tibiali vix longioribus quam latioribus. Bulbus genitalis anticus procursum duos magnos, foras directos, basi sat longe inter se remotos ostendit, quorum alter, basalis, spinam longam sat fortem (apice longo et nigro tamen gracili) anteriora versus curvatam format, alter vero, qui ex duabus arcte sibi applicatis constare videtur, brevior, paene rectus et sub-compressus et apicem versus paullo dilatatus est: lineam longitudinalem nigram (spinas duas graciles nigras?) ostendit, ipso apice breviter acuminato, testaceo. *Abdomen* breviter ovatum, posteriora versus angustatum et sub-acuminatum.

*Color.* — *Cephalothorax* nigro-fuscus, parte cephalica clariore. *Pedes* sub-testacei, nigricanti-annulati, femoribus nigricantibus, metatarsis tarsisque apice nigris. *Palpi* flavo-testacei. *Abdomen* nigricans, pilis longis obscuris sparsum, et pube tenui rufescenti minus dense vestitum, antice sub-testaceum et in hac area sub-testacea minus bene definita antice  $\wedge$  sat magno albicanti, triangulum nigricantem includenti ornatum, et pone id alio  $\wedge$  albicanti minus distincto et eo quoque nigrore repleto: pone hanc picturam abdomen fasciam transversam latam nigricantem ostendit, quae postice area media multo angustiore triangula nigra usque ad anum ducta continuatur, quae utrinque crasse dentata est et in lateribus saltem anticus linea albicanti limi-

tatur, lateribus dorsi postice, apud hanc aream triangulam, utrinque cinerascentibus vel sub-olivaceis. Venter niger, macula sub-transversa flaventi utrinque non parum ante mamillas notatus.

Lg. corp. 4 millim.; lg. cephaloth. paullo plus 2, lat. ej. paene 2; lg. abd.  $2\frac{1}{3}$ , lat. ej. paene 2 millim. Ped. I  $6\frac{1}{2}$ , II 6, III 3, IV circa  $4\frac{1}{2}$ , millim.

Mas singulus, ex montibus Carin Chebà.

Gen. **Gea**, C. L. Koch, 1843.

160. **G. festiva**, Thor., 1895. Bhamò.

161. **G. nocticolor**, Thor., 1887. Bhamò.

\*\* 162. **G. catenulata**, n., *cephalothorace nigro, parte cephalica tota, cum margine partis thoracicae posterius, testacea; sterno nigro, fascia longitudinali in medio constricta flava et tuberculis lateralibus sex rufescentibus; pedibus testaceis, dense nigro-annulatis; abdomine supra cinerascenti vel pallide olivaceo, secundum medium maculis sex majoribus rotundatis albicantibus ornato, quae lineis nigris transversim ad latera abdominis continuatis definitae sunt et in series duas longitudinales posteriora versus paullo divaricantes et postice nigrore separatas ordinatae, pone quas medium dorsi area triangula nigra, circa  $\frac{1}{3}$  longitudinis ejus occupante, utrinque crasse undulato-dentata occupatur.* — ♀ ad. Long. circa 5 millim.

FEMINA. — *Cephalothorax, sternum, partes oris, palpi et pedes ad formam sunt ut in hoc genere plerumque. Area oculorum mediorum valde proclivis et plana est; oculi medii postici reliquis oculis non parum majores. Series oculorum postica fortiter deorsum curvata et procurva est, series antica sat fortiter recurva, a fronte visa paene recta. Area oculorum mediorum fere duplo longior quam latior postice, non parum latior postice quam antice. Oculi bini laterales, quorum anterior posteriore paullo minor est, inter se contingentes sunt, medii antiqui paullo longius inter se quam a lateralibus anticis remoti, medii postici paullo longius a lateralibus posticis quam inter se. Sternum ad utrumque latus tria tubercula parva ostendit. Pedes mediocres, aculeis sat*

longis et crebris armati. *Abdomen* circa dimidio longius quam latius, antice et in lateribus anterieus levius, posterius fortius rotundatum; antice, paullo pone humeros, tuberculis duobus sub-conicis sat parvis munitum est. *Vulva* maxima: constat e callo magno paene in circulum curvato, qui septo medio angustiore persectum est, hoc septo posterius cum callo transverso latiore crucem formante: callo et septo vulva in quattuor foveas dividitur, quarum duae posteriores minutae sunt.

*Color.* — *Cephalothorax* niger, albo-pubescent, parte cephalica tota, cum margine partis thoracicae postice anguste, testacea. *Sternum* nigrum, fascia media longitudinali lata et in medio constricta flava, et tuberculis utrinque apud coxas tribus rufescentibus. *Mandibulae* testaceae; *maxillae* sub-fuscae, in margine intus et apice testaceis, *labium* fuscum, apice testaceum. *Palpi* testacei, paullo nigro-maculati. *Pedes* testacei, nigro-maculati et -annulati: femora 1.<sup>i</sup> paris supra annulis 3 nigris praedita sunt, subter cum coxa et trochantere nigra, reliqua femora annulis binis, apicali et medio, sunt cincta; coxae sex posteriores testaceae, trochanteres 4.<sup>i</sup> paris macula parva nigra subter notati. Patellae in medio testaceae sunt, apice et basi nigrae; tibiae saltem subter 3 annulis, metatarsi 2 annulis, medio et apicali, cincti. *Abdominis* dorsum cinerascens vel pallide olivaceum et albo-pubescent est, hac area dorsuali sat dense albo-punctata lineis paucis tenuibus transversis nigris utrinque persecta et maculis majoribus rotundatis sex albis nigro-limbatis in series duas longitudinales posteriora versus paullo divaricantes ordinatis ornata, quae series paene ad  $\frac{2}{3}$  longitudinis dorsi pertinent et posterius spatio inaequali nigricanti separatae sunt: hoc spatium postice in aream nigram triangulam ad anum pertinentem et utrinque crasse undulato-dentatam continuata est. Venter niger ordinibus duobus longitudinalibus parallelis macularum ternarum flavarum, quarum media utrinque dilatata est, inter vulvam et *mamillas* ornatus, interstitio inter hos ordines maculis minutis 4 flavis fere in quadratum dispositis antice notatum.

Lg. corp. 5; lg. cephaloth.  $2\frac{1}{2}$ , lat. ej. paene 2, lat. clyp.

paene 1; lg. abd.  $3\frac{1}{2}$ , lat. ej.  $2\frac{1}{2}$  millim. Pedes I  $7\frac{1}{4}$ , II  $6\frac{3}{4}$ , III  $4\frac{1}{4}$ , IV circa  $6\frac{1}{2}$  millim. longi.

Femina singula, ex Teinzò.

Gen. **Larinia**, SIM., 1874.

163. **L. diluta** (Thor.), 1887. — *Lipocrea diluta*, Thor., Primo Saggio, cet., p. 146.

In femina *adulta*, quae ad Teinzò (non procul a Bhamò) cum nonnullis junioribus capta est, et quae haud dubie ejusdem speciei est ac femina illa junior ad Bhamò capta, quam primum (loc. cit., p. 146) *Lipocream dilutam* appellavi (1), et quae plane cum descriptione hujus araneae convenit, *vulva* fusca fere triangula est: “ corpus „ ejus transversum, postice excisum vel profunde emarginatum ex duabus partibus rotundatis et profunde excavatis constare videtur: e latere ejus anteriore exit scapus brevis subconicus, vix longior quam latior, “ corpore „ vulvae circa triplo angustior et apice postico modo ad medium longitudinis ejus pertinens. Linea longitudinalis albicans dorsi abdominis minus distincta est quam in junioribus, fascia longitudinalis ventris ut in iis alba distinctissima.

In *mare ad.*, quem hujus speciei credo, bulbus genitalis subglobosus et pilosus subter versus basin procursus saltem duos ad maximam partem pallidos, unguiformes fere, ostendit, apice vero, extus, magis subter, unguem parvum nigrum subito *deorsum* flexum.

Altera femina adulta, ibidem capta, et quae ad formam vulvae cum illa satis convenit, *pedes sat dense et fortiter nigromaculatos habet*, et puncta nigra abdominis fortiora et paria 7 secundum latera dorsi formantia (ut saepe in forma principali): haec forma, quae propria species fortasse est, ad tempus *L. diluta*, var. *maculatipes* appellari potest. In *mare ad.* simili, cum ea capto, bulbus genitalis subter ad basin procursum longiorem

(1) Femina contra, quam in « Aracnidi di Nias e di Sumatra » (Ann. d. Mus. Civico di Genova, Vol. XXX, Ser. 2, Vol. X, pag. 24) ut feminam adultam *L. dilutae* descripsi, ab hoc specie differre videtur (Conf. descriptionem vulvae ejus).

pallidum *bifidum* ostendit et ante eum unguem nigrum sursum curvatum.

♀ *ad.* — Lg. corp. 8 millim., lg. cephaloth. 3, lat. ej. parum plus 2, lat. clyp. parum plus 1; lg. abd. 6, lat. ej. 2 millim. Ped. I ?, II  $10\frac{1}{4}$ , III  $6\frac{1}{2}$ , IV paene 12; pat. + tib. IV 4 millim.

Marem et feminam *L. dilutae* hic descriptos cum paucis junioribus ad Teinzò collegit Fea.

\*\* 164. *L. lutescens*, n., *cephalothorace luteo, linea media longitudinali nigra posterius notato; oculis mediis anticis aequae longe inter se atque a lateratibus anticis separatis; pedibus luteo-testaceis, 3<sup>ii</sup> paris pedibus anticis plus duplo brevioribus; abdomine supra flavescenti, linea longitudinali utrinque ramosa obscura notato, et pilis longis sub-erectis albicantibus consperso, subter magis albicanti; vulva e corpore transverso utrinque excavato et e scapo angusto plus duplo longiore quam latiore et paullo pone corpus vulvae pertinente formata.* — ♀ *ad.* Long. circa  $7\frac{1}{2}$  millim.

FEMINA. — *Cephalothorax* ad formam ut in specie priore est, tibiâ 4<sup>i</sup> paris paullulo brevior. Series *oculorum* postica desuper visa parum recurva, paene recta est, a fronte visa deorsum curvata, series antica a fronte visa leviter deorsum curvata. Oculi seriei anticae spatiis aequalibus separati. Oculi medii postici paene contingentes inter se, spatio vix evidenti separati. *Pedes* 4<sup>i</sup> paris pedibus 3<sup>ii</sup> paris paullo plus duplo longiores sunt, metatarsi 1<sup>i</sup> paris tibiâ paullo breviores. In femoribus anticis aculeos 2 vel 3 breves antice video, et 1 supra. *Abdomen* saltem triplo longius quam latius, formâ in hoc genere ordinariâ, paene cylindratum, antice supra declivitatem cephalothoracis posticam, et postice supra mamillas, in conum brevem libratum productum. *Vulva* fusca ex "corpore" sub-transverso in lateribus rotundato, utrinque excavato et e scapo eo circa triplo angustiore et paullo longiore, retro directo, lateribus parallelis, leviter versus ventrem curvato et plus duplo longiore quam latiore constat.

*Color.* — *Cephalothorax* luteus, linea media longitudinali nigra

in sulco centrali notatus et pilis albicantibus supra sat dense conspersus. *Sternum*, *partes oris*, *palpi et pedes* luteo-testacea, aculei pedum nigri. *Abdomen* supra flavescens, linea media longitudinali obscura, ramos duos vel tres oblique retro et posteriora versus directos utrinque emittente notatum et pilis longis et fortibus sub-erectis sat raris albicantibus conspersum, subter magis albicans. *Mamillae* lutescentes.

Lg. corp.  $7\frac{1}{2}$  millim.; lg. cephaloth. paene 3, lat. ej. paene 2, lat. clyp. paene 1; lg. abd. paullo plus 5, lat. ej. paene 2 millim. Ped. I  $11\frac{1}{2}$ , II  $10\frac{1}{2}$ , III  $5\frac{1}{4}$ , IV 10; pat. + tib. IV  $3\frac{1}{2}$  millim.

Femina singula, ad Teinzò inventa.

Gen. *Arachnura*, VINS., 1863.

\*\* 165. *A. perfissa* (Thor.), *area oculorum mediorum duplo longiore quam latiore postice et paullo latiore antice quam postice, oculis binis lateralibus spatio eorum diametrum aequante separatis; cephalothorace, sterno, partibus oris, palpis et pedibus sub-testaceo-ferrugineis vel -luteis; abdomine longissimo, flavo- vel sub-fusco-testaceo, in lateribus plus minus late rufo-ferrugineo vel rubro, in medio antice profunde inciso et lobos duos porrectos sub-triungulos ita formante, posteriora versus sensim angustato et in caudam longam, non annulatam, in tres procursus conico-acuminatos excurrente, procursu inferiore duobus superioribus duplo longiore.* — ♀ ad. Long. circa 11 millim.

*Epeira* (*Cyrtophora*) *perfissa* Thor., Descr. Catal., p. 175 (1895).

" " *perfissa*, Fea [Viaggio di Leonardo Fea in Birmania e Regioni vicine. LXXVI.]. Riassunto generale dei risultati Zoologici, p. 259 (639), fig. 33.

Quum descriptio nostra loc. cit. data secundum exemplum *pullulum* facta et mendosa sit (in exemplo illo cauda apice 5 dentibus instructa est visa), novam diagnosim, additis synonymis, hic dedimus.

Gen. **Poltys**, C. L. Koch, 1845.

\*\* 166. **P. stygius**, n., *cephalothorace nigro, pedibus nigro-piceis, pilis et aculeis brevibus densis rufescentibus praesertim in latere interiore praeditis; patellis subter cyaneis, tibiis annulis binis subtestaceis, praesertim subter distinctis, ornatis; abdomine breviter ovato, nigro, margine antico late rotundato, compresso, dorso maculis paucis parvis nigerrimis pallido-cinctis notato, quarum duae transversae et versus latera dorsi productae posterius in dorso locum tenent; ventre macula magna testacea et inter eam et rimam genitalem plaga magna nigerrima occupato.* — ♀ ad. Long. corp. 16 millim.

FEMINA. — *Cephalothorax* circa dimidio longior quam latior, formâ in hoc genere solitâ, inverse cordiformis fere, parte cephalica in lateribus fortiter rotundata; impressiones cephalicae fortissimae, sulcus centralis tenuis, postice in foveam magnam profundam sub-triangularum exaratus; pars cephalica quoque in lateribus fortiter rotundata, antice subito angustata et sensim acclivi; frons angustissima vix  $\frac{1}{3}$  latitudinis reliquae partis cephalicae aequat. *Oculi* 4 medii in aream paene quadratam, parum latiore antice quam postice dispositi sunt; medii antici reliquis evidenter majores, laterales bini sub-aequales reliquis minores. *Oculi* laterales antici paullo longius a mediis anticis quam hi inter se distant, laterales postici, longe retro in lateribus partis cephalicae locati, circa 4:plo longius a mediis anticis quam laterales antici a mediis anticis distant. Omnes *oculi* seriei anticae in lineam paene rectam dispositi sunt. *Sternum* paullo longius quam latius, apice postico obtuso non inter coxas 4<sup>i</sup> paris pertinente. *Mandibulae* femore antico paullo angustiores, plus duplo longiores quam latiores; sulcus unguicularis in margine superiore dentibus inaequalibus 4, in margine inferiore dentibus 3 armatus est. *Pedes* I, II, IV, III, longitudine se excipiunt, setis densis et aculeis crebris brevibus praesertim in latere interiore armati; patellis et tibiis depressis; tibiae etiam supra serie aculeorum brevium rariorum praeditae sunt et paullo foras curvatae.



*Abdomen*, longe retro cephalothoraci affixum, breviter ovatum est, antice late, postice brevius rotundatum; satis depressum est, margine antico valde compresso: secundum hunc marginem, supra et subter, seriem sat longam punctorum impressorum ostendit, et posterius in dorso multa alia ejusmodi puncta sive impressiones, quarum praesertim duae posterius in dorso sitae reliquis majores et profundiores sunt. *Vulva* ex lamina parva transversa fere trapezoidi nigra postice pallido-marginata constat, ante quam laminam etiam minorem transversam, nitidam, luteam vel succini coloris video. *Mamillae* brevissimae.

*Color*. — *Cephalothorax* niger, pube cinerascenti sub-villosus. *Sternum* quoque nigrum et cinerascenti-sub-villosum. *Mandibulae* piceae; *maxillae* et *labium* picea, apice pallidiora. *Pedes*, ut palpi, nigro-picei sunt, pilis et aculeis brevibus densis rufescentibus praesertim in latere interiore praediti. *Coxae* magis rufo-piceae sunt, *patellae* subter cyanae, *tibiae* annulis binis testaceis saltem subter distinctis ornatae, basali latissimo, altero, sub-apicali, angustiore; etiam in metatarsis saltem posterioribus binos ejusmodi annulos video, unumque, basalem, in tarsis. *Abdomen* nigrum, pube brevissima rufescenti minus dense vestitum; macula sat parva rotundata vel oblonga nigerrima, annulo pallido cincta in medio dorso versus marginem ejus anticum notatum est, et paullo magis postice litura quaedam transversa ejusdem coloris conspicitur; utrinque in dorso postice, pone impressiones illas majores, aliam maculam nigerrimam paullo majorem transversam video, quae paene ad latera dorsi ut stria transversa pertinet; praeterea duabus aliis ejusmodi maculis parvis, una sub altera, in declivitate abdominis antica, mox sub margine ejus antico, notatum est abdomen. Venter in medio posterius macula magna transversa sub-testacea notatus videtur, inter eam et rimam genitalem plaga transversa nigerrima occupatus. *Mamillae* nigricantes.

Lg. corp. 16; lg. cephaloth.  $7\frac{1}{2}$ , lat. ej.  $5\frac{1}{2}$ , lat. clyp. 2; lg. abd. 15, lat. ej.  $12\frac{1}{4}$  millim. Ped. I  $26\frac{1}{2}$ , II  $25\frac{1}{2}$ , III 19, IV 22 millim.

Femina singula, ex Malewoon (Tenasserim).

\*\* 167. *P. acuminatus*, n., *cephalothorace lurido-testaceo, pedibus ejusdem coloris, paullo sub-fusco-annulatis, femoribus ad apicem late nigris; abdomine fere dimidio longiore quam latiore, sub-lurido, punctis et striis fuscis variato, apicem posticum obtusum versus sensim angustato, margine antico in medio in spinam breviorum fortem producto et utrinque apud eam fere quadri-dentato, humeris in tuberculum obtusum elevatis quoque, lateribus abdominis pone humeros in seriem longitudinalem fere triplicem tuberculorum fere binorum-quaternorum elevatis.* — ♂ jun. Long. circa  $7\frac{1}{2}$  millim.

FEMINA. — *Cephalothorax* paene dimidio longior quam latior, ad formam ut in specie priore est dictum, sulco centrali et impressionibus cephalicis fortibus, parte cephalica alta et ad longitudinem convexa, apice angusto: acclivis est, antice oblique truncata. *Oculi* medii antici reliquis, praesertim lateralibus minutis, plus duplo majores sunt; area oculorum mediorum quadrata, vix latior antice quam postice. *Oculi* medii antici saltem duplo longius inter se quam a lateralibus anticis remoti sunt; laterales postici circa 4:plo longius a lateralibus anticis quam hi a mediis anticis remoti, cum his et illis lineam paullo deorsum curvatam formantes. *Pedes* mediocres, fere ut in specie praecedente ad formam et armaturam. *Abdomen* dimidio longius quam latius, paene triangulo-pyramidatum, a basi sat lata ad apicem posticum valde obtusum sensim modice angustatum, margine antico inaequaliter crenulato et utrinque serie dentium (tuberculorum) 4 praedito, in medio in spinam brevem crassam, sursum et anteriora versus directam et ante reliquum marginem non parum prominentem producto; utrinque supra angulos lateris anterioris (sive baseos pyramidis) in tuberculum crassum magis obtusum elevatum est dorsum; utrinque sub et ante haec tubercula humeralia transversim, pone spinam illam porrectam, sub-excavata est basis abdominis, et hic utrinque tubercula pauca minora format. Pone tubercula humeralia latera abdominis seriem longitudinalem fere triplicem tuberculorum obtusorum in series breves transversas obliquas 2-4 ordinatas utrinque formant, dorso inter ea laevi, ipso apice dorsi vix tuberculato.

*Color.* — *Cephalothorax* cinereo- vel lurido-testaceus, impressionibus cephalicis et sulco centrali infuscatis. *Sternum* sub-fuscum; *maxillae* et *labium* ejusdem coloris, apice pallida. *Palpi* testacei, apice late infuscati. *Pedes* lurido-testacei, femoribus apice late nigris, tarsis annulo fusco cinctis; tibiae et patellae annulo vel umbra singula vel duplici infuscata versus apicem praeditae; aculei pedum fusi. *Abdomen* lurido-testaceum, in lateribus lineis nonnullis deorsum directis fuscis et punctis inaequalibus ejusdem coloris praesertim inter tubercula dorsi et postice in eo sparsum. Venter antice pallidus, cingulo nigro inter petiolum et rimam genitalem praeditus. *Mamillae* luridae.

Lg. corp.  $7\frac{1}{4}$ ; lg. cephaloth. paene  $3\frac{1}{2}$ , lat. ej.  $2\frac{1}{2}$ , lat. clyp. 1; lg. abd. 6, lat. ej. paene  $4\frac{1}{2}$  millim. Ped. I  $12\frac{1}{2}$ , II 12, III 8, IV 9 millim.

Femina singula nondum adulta, ad Malewoon (Tenasserim) capta.

\*\* 168. **P. turritus**, n., *cephalothorace rufescenti-fusco; pedibus rufescentibus, late nigro-annulatis, femoribus anterioribus laete rubris et apice late nigris vel cyaneis; abdomine altissimo, circa 4:plo altiore quam latiore, turri-formi fere, versus apicem late et leviter constricto, parte apicali ejus ovato-globosa, cinerascenti, parte principali abdominis ea circa duplo latiore, anguste ovata, sub-depressa, in lateribus albo-cinerea, secundum medium nigricanti et ibi  $\wedge$  magno nigro notato, ad apicem posticum vero papulis circa 20 nigris consperso.* — ♀ ad. Lg. corporis circa  $7\frac{1}{2}$  (alt. abd. circa 12) millim.

FEMINA. — *Cephalothorax* vix dimidio longior est quam lator, ad formam ut in *P. acuminato* est dictum, excepto quod frons (area oculorum mediorum) directa est, non oblique truncata; pars thoracica in lateribus fortissima rotundata est. *Oculi* medii postici reliquis non multo majores sunt. Oculus lateralis posticus circa 4:plo longius a laterali antico quam hic a medio antico distat, medii postici duplo longius inter se quam medii antichi a lateralibus anticis; medius anticus cum lateralibus antico et postico lineam rectam, non deorsum curvatam, designat. *Pedes* me-

diocres, intus in tibiis (paullo foras curvatis) et metatarsis dense spinulosi. *Abdomen* forma est singulari: triplo-quadruplo altius quam longius et latius est, et quasi e duabus partibus, turrin crassam formantibus, constans, petiolo duplo longius ab apice antico quam a mamillis cephalothoraci affixum, sursum et anteriora versus directum: versus apicem enim sat leviter et late constrictum est, parte apicali ovato-globosa, tereti, et parte posteriore abdominis duplo angustiore et plus duplo brevior; pars posterior sive principalis abdominis supra paullo depressa et in lateribus sat leviter rotundata est, postice obtusa.


*Color.* — *Cephalothorax* rufescenti-fuscus. *Sternum* rufescens. *Mandibulae* rufescenti-fuscae, apice nigricantes. *Palpi* fusco-testacei, basi late pallidiores; pars tibialis apice extus maculam nigram ostendit. *Pedes* rufescentes, femoribus anterioribus laete rubris et apice late nigris (apice subter cyaneis), internodiis insequentibus horum reliquorumque pedum annulis binis latis nigris vel, in tarsis, singulo annulo cinctis; plus minus pube densa brevi nigra et alba variatis. *Abdomen*, pube tenui densa albicanti vestitum, in lateribus dorsi posterius et, ut videtur, etiam antierius cinerascens est, secundum medium in formam fere folii angustioris nigricans, quod antierius  $\wedge$  magnum nigrum continet; ab hac area nigricante exeunt utrinque striae nigricantes, quae colorem albo-cinereum laterum dorsi persecant. Ad apicem posticum dorsi verrucis sat parvis circa 20 nigris nitidis (oculis similibus) conspersum est abdomen, et ante eos, utrinque antierius, tubercula parva pauciora rariora ostendit. Venter cum *mamillis* niger.

Lg. corp.  $7\frac{1}{2}$  (alt. sive long. 12) millim., lg. cephaloth.  $3\frac{3}{4}$ , lat. ej. 3, lat. clyp. circa  $1\frac{1}{3}$ ; lg. et alt. abd. 12, lat. ej. 4 millim. Ped. I 13, II  $12\frac{1}{4}$ , III  $9\frac{1}{2}$ , IV  $10\frac{1}{2}$  millim.

Singula femina, ex Tenasserim.

\*\* 169. **P. raphanus**, n., *cephalothorace lurido-testaceo, penicillo brevi albo foras directo utrinque in parte cephalica paullo pone oculos medios posticos praedito; pedibus rufescentibus, nigricanti-annulatis, femoribus apice sat late nigris; abdomine altissimo,*

saltem quadruplo altiore quam latiore, forma fere raphani, primum anteriora versus sensim modice angustato, tum utrinque dentibus 5 armato, dein citius angustato et in apicem gracilem et longum exeunte. — ♀ ad. Long. corp. circa  $7\frac{1}{2}$  millim. (alt. abd. circa  $12\frac{1}{2}$  millim.).

FEMINA. — *Cephalothorax* ad formam ut in priore specie, vix dimidio longior quam latior, utrinque paullo pone oculum medium posticum penicillo parvo brevi e pube alba formato et foras directo praeditus. *Oculi* ut in *P. turrilo* est dictum. *Palpi* sat fortes et longi. *Pedes* sat graciles et longi, pedes 1<sup>i</sup> paris pedibus 2<sup>i</sup> paris parum longiores, omnes ut in *P. turrilo* aculeati et setosi. *Abdomen* altissimum, forma fere raphani, saltem triplo altius quam latus, sursum et anteriora versus directum, longe retro cephalothoraci affixum, apicem anticum versus primum sensim modice angustatum, et dein dentibus 5 conicis sat fortibus in utroque latere armatum, tum cito angustatum et subito in apicem gracilem circa  $1\frac{1}{2}$  millim. longum et femore antico non crassiorem exiens (summus apex abdominis in nostro exemplo paullo mutilatus videtur); in lateribus posterius leviter rotundatum est abdomen, apice postico breviter triangulo. *Vulva* ex callo transverso  formi nigro constare videtur, qui utrinque postice tuberculo laevi sub-testaceo auctus est.

*Color*. — *Cephalothorax* rufescenti-testaceus, albicanti-pubescens, penicillo brevi pilorum albidorum foras directo utrinque paullo pone oculos medios posticos ornato. *Sternum* cum maxima parte *maxillarum* et *labii* sub-fuscum. *Mandibulae* sub-testaceae, apice late infusatae. *Palpi* sub-testacei. *Pedes* rufo-testacei, apice femorum sat late nigro; internodiis insequentibus annulis binis (vel singulo) fuscis notatis. *Abdomen* cinereo- albicans vel -argentum, plaga magna supra petiolum nigra, ventre quoque nigro; in dorso abdominis versus apicem anticum duas maculas minutas nigras in plaga argentea video, dein  $\wedge$  nigrum, tum lineam transversam oblongam in medio abruptam nigram et ante eam maculas duas oblongas ellipticas argenteas; denique, ante ipsum apicem posticum, papulas minutas circiter 12 nigerrimas, oculis similes, ostendit dorsum. Apex abdominis anticus vero in latere

antere lineam vel fasciam longitudinalem nigram ostendit, quae fascia ejusmodi albicanti limbata est. *Mamillae* rufescentes.

Lg. corp. circa  $7\frac{1}{2}$ ; lg. cephaloth.  $3\frac{1}{2}$ , lat. ej.  $2\frac{1}{2}$ ; lg. (alt.) abd. circa  $12\frac{1}{2}$ , lat. ej. 4 millim. Ped. I 12, II  $11\frac{1}{2}$ , III 9, IV paene  $9\frac{1}{2}$  millim.

Singula femina, in montibus Carin Ghecù capta.

\*\* 170. *P. squarrosus*, n., *cephalothorace in fundo rufescenti, parte cephalica supra et ante clypeum in colonnam duplo longiorem quam latiore et inter oculos medios tuberculum obtusum formantem producto, et fere in medio longitudinis, utrinque, penicillo nigro foras directo praedito; pedibus rufescentibus, paullo nigromaculatis, femoribus apice nigris; abdomine cinerascenti et nigricanti, vel colore fere suberis, altissimo, cephalothoraci longe retro affixo, sub-cylindrato, in dimidio apicali tuberculis majoribus densis inaequali, ipso apice sub-truncato quasi in digitum angustum sub-acuminatum anteriora versus subito angustato et fracto.* — ♀ ad. Long. circa 7 millim. (alt. abd. circa 10 millim.)

FEMINA. — *Cephalothorax* ad formam et magnitudinem ut in prioribus, sed apex anticus partis cephalicae, oculos medios et laterales anticos gerens, longius sursum et anteriora versus supra clypeum productus est, circa duplo longior quam latior, summo apice inter oculos medios tuberculum obtusum formante et penicillo angusto longiore e pilis nigris formato et foras directo utrinque, supra oculos medios anticos, et pone medios posticos, magis postice, sito praeditus. Area *oculorum* mediorum, quorum antici reliquis oculis evidenter majores sunt, reclinata est et paullo latior postice quam antice; laterales postici circa triplo longius a lateralibus anticis quam hi a mediis posticis locati sunt, medii antici non parum longius inter se quam a lateralibus anticis positi. *Pedes* fere ut in prioribus ad formam et armaturam. *Abdomen* altissimum, cephalothoraci longe retro affixum, sub-cylindratum et plus triplo altius quam latius, dorso posterius sub-triangulo; hic, sive in dimidio basali, abdomen sub-laeve est, in dimidio apicali vero praesertim in lateribus et ad apicem dentibus vel tuberculis majoribus densis inaequale:

ipse apex sub-truncatus abdominis quasi in digitum versus apicem angustatum et sub-acuminatum, basi paene ad rectos angulos anteriora versus fractum est productus, qui apice ipsius abdominis multis partibus angustior est, circa 2 millim. longus et circa duplo-triplo longior quam lator. Ad apicem posticum dorsum papulis nonnullis (circa 10) minutis sparsum est.

*Color.* — *Cephalothorax* rufescens, secundum medium cinerascens-pubescentis et utrinque antice in parte cephalica, supra oculos laterales anticos, penicillo angusto pilorum obscurorum oblique antrorsum directo praeditus. *Sternum* cum maxillis et *labio* ad maximam partem fuscum; *mandibulae* rufo-fuscae. *Palpi* sub-testacei. *Pedes* rufescentes, femoribus apice nigris et praeterea vestigiis annuli angusti medii nigricantis praeditis, tibiis annulis nigricantibus binis, internodiis insequentibus saltem singulo, cinctis. *Abdomen* in latere antico cinerascens vel colore fere suberis est, in latere postico sive dorso posterius in medio nigricans, ad latera pallide cinerascens, tuberculis et dentibus laterum sub-cinereis vel testaceis, procursu apicali (apicis antici) magis pallido; ad ipsum apicem posticum dorsum papulis nonnullis minutis nigris (oculis similibus) conspersum est. Venter niger.

Lg. corp. circa 7, lg. cephaloth.  $3\frac{1}{2}$ , lat. ej.  $2\frac{1}{2}$  millim.; lat. abd. 3, alt. ejus 10 millim. Ped. I  $12\frac{1}{3}$ , II 11, III 9, IV  $9\frac{1}{2}$  millim.

Exemplum singulum femineum ad Malewoon (Tenasserim) inventum est.

Gen. **Euetria**, Тюр. 1887.

171. **E. Moluccensis** (Dol.), 1887. Carin Asciiui Ghecù.

172. **E. Feae**, Thor., 1887. Palòn, Toungoo, Bhamò.

\*\* 173. **E. limbata**, n., *cephalothorace sub-olivaceo-testaceo, utrinque fascia paene marginali sat lata nigerrima ornato, palpis pedibusque sub-olivaceo-testaceis, his nigro-punctatis et aculeis nigris sat crebris armatis; area oculorum mediorum paullo longiore quam latiore et paullo latiore antice quam postice, oculis binis late-*



*ralibus contingentibus inter se; sterno nigro, linea media longitudinali testacea; abdomine sub-ovato, in dorso antice, magis intus, tuberculis duobus sat fortibus conicis, intus nigerrimis, exterius pallidis munito, dorso pone ea ante medium maculis duabus albidis (una utrinque) nigrore conjunctis notato, et dein, a medio dorsi ad apicem ejus posticum, area longa nigra ornato, quae lineis duabus albis parallelis includitur et antice maculas duas (vel quattuor) albas continet; ventre area oblonga nigra maculas parvas sex albas continente notato. — ♀ ad. Long. 10-11 millim.*

FEMINA. — *E. Feae* haec species ad formam et colorem simillima est, cephalothoracis fasciis duabus latis sub-marginalibus nigerrimis tamen sine ullo negotio dignoscenda. — *Cephalothorax*, partes oris, palpi et pedes ad formam ut in *E. Feae* sunt, oculi ut in ea dispositi. *Pedes* aculeis longis sat gracilibus armati sunt, femora seriem setarum longarum directarum subter ostendunt. *Abdomen*, vix duplo longius quam latius, sub-ovatum est, antice modice, in lateribus levius rotundatum, et posteriora versus modice angustatum; dorso paullo pone basin, paullo magis intus, in tubercula duo sat magna, conica elevato. *Vulva* ex lamina transversa erecta, sat humili, fusca constat, quae, si postice (a tergo) inspicitur, postice late truncata est et sulcis duobus deorsum directis in tres partes divisa.

*Color.* — *Cephalothorax* luteo- vel sub-olivaceo-testaceus est; praeter fascias duas latas sub-marginales nigerrimas, quae paullo pone impressiones cephalicas initium capiunt et ad marginem posticum dorsi ductae sunt, lineam duplicem nigram secundum medium partis thoracicae ostendit. *Sternum* nigrum, linea media longitudinali pallida. *Pedes* luteo- vel sub-olivaceo-testacei, saltem in femoribus sat dense nigro-punctati, aculeis nigris armati. *Abdomen* sub-olivaceo-testaceum, tuberculis humeralibus intus nigerrimis, extus pallidis; non multum pone ea initium capit pictura ordinaria dorsi, quae ante medium e macula nigra, maculas duas albicantes, unam utrinque, continente constat, et dein, a medio dorsi ad anum, ex area angustiore nigra, quae maculas duas vel quattuor (in rectangulum longiorem quam latiore ordinatas) continet et lineis duabus fortibus pa-



rallielis albicantibus limitatur. Etiam venter aream magnam oblongam nigram ostendit, quae lineis duabus sub-flexuosis et postice abruptis albicantibus includitur et 3 paria punctorum albicantium continet. In utroque latere linea pallida sub-flexuosa postice oblique retro et deorsum curvata conspicitur. *Mamillae* ad maximam partem pallidae.

Lg. corp.  $10 \frac{1}{2}$ ; lg. cephaloth. paullo plus 4, lat. ej. 3; lg. abd. 7, lat. ej.  $4 \frac{1}{3}$  millim. Ped. I  $18 \frac{1}{2}$ , II  $17 \frac{1}{3}$ , III 10. IV  $15 \frac{1}{4}$ , pat. + tib. IV 5 millim.

Feminas paucas ad Palòn et Bhamò collegit Fea.

174. **E. cicatricosa** [*cicatrosa*] (Stol.), 1869. (= *E. salebrosa* Thor., *olim*), Tharrawaddy.

Gen. **Cyclosa**, MENGE, 1866.

175. **C. insulana** (Costa), 1834. Prome, Palòn, Carin Chebà et Asciiui-Chebà; Tenasserim.

176. **C. hybophora** (Thor.), 1887. Prome, Tharrawaddy, Palòn, Carin Chebà.

177. **C. Mulmeinensis** (Thor.), 1887. Tharrawaddy.

178. **C. bifida** (Dol.), 1839. Var. *maerura* Thor., 1877. Palòn, Carin Chebà, Bhamò.

179. **C. tardipes** (Thor.), 1893. Mandalay.

Gen. **Cyrtophora**, SIM., 1864.

180. **C. de Haanii** (Dol.), 1869. Palòn (♂!), Rangoon, Carin Chebà, Bia-pò, Bhamò.

Gen. **Epeira**, WALCK., 1805.

181. **E. enucleata**, Karsch, 1879. Palòn, Thagatà.

182. *E. decens*, Thor., 1877. (*E. hispidu*, Dol. et Thor., *olim*), Palòn, Bhamò, Teinzò, Carin Chebà, Asciiui Chebà et Asciiui Gheù; Thagatà (in monte Mooleyit).

183. *E. punctigera*, Dol., 1857. (*E. lugubris*, Sim., sed certe non *E. lugubris*, Walck.), Rangoon, Bhamò, etc.; Malewoon.

184. *E. nautica*, L. Koch, 1875. (*E. pullata*, Thor., *olim*), Rangoon, Palòn, Mandalay, Prome, Moulmein, etc.

Exempla duo feminea solito majora (12-13 millim. longa) sed quae praeterea ab exemplis ordinariis *E. nauticae* sive *pullatae* dignoscere nequeo, in montibus Catein Cauri inventa sunt; exemplum femineum tertium, quod illorum est magnitudine et cum iis captum, modo eo est notabile, quod *maculas tres albas* sat parvas in seriem longitudinalem dispositas in dorso abdominis exhibet (tertia harum macularum, in medio dorso posita, reliquis duabus minore). *E. nautica*, var. *tristicta*, haec varietas appellari potest. Saltem in hac femina pedes 4.<sup>i</sup> paris pedes 2.<sup>i</sup> paris longitudine modo *aequant*.

185. *E. annuligera*, n., *cephalothorace sub-testaceo, parte cephalica nigra, area oculorum mediorum (quorum anteriores reliquis majores sunt et spatio duplo majore a lateralibus anticis quam inter se remoti) paullo longiore quam latiore et paullo latiore antice quam postice; sterno nigro, fascia longitudinali testacea; pedibus nigris, densius testaceo-annulatis, femoribus et tibiis annulis binis, metatarsis ternis annulis testaceis cinctis; abdomine brevi, ovato-triangulo, aequè lato et longo, dorso ejus nigro, in lateribus oblique et inaequaliter cinereo-vittato, pictura dorsi praeterea vix evidenti; ventre nigro, maculis duabus minoribus flavis paullo ante mamillas ornato; vulva c. x "corpore" rotundato humili testaceo, quod antice subito angustatum est et septo quodam nigricanti posteriora versus angustato et per totum corpus vulvae retro ducto persectum, et ex "scapo": eo multo angustiore sed vix breviorè, retro curvato et directo, basi angustiore quam in medio, constante. -- ♀ ad. Long. circa 8 1/2 millim.*

FEMINA. — *Cephalothorax* ad formam plane ut in, e. gr., *E. punctigera* Dol. et affinibus, pube crassiore sat densa tectus, fovea centrali oblonga et profunda et in medio sulco longitudinali praedita. *Partes oris* ut in ea specie. *Oculi* medii in trapezium parum longius quam latius, et evidenter paullo latius antice quam postice dispositi; oculi bini laterales spatio duplo majore a mediis anticis quam hi inter se separati. *Pedes* dense aculeati, femoribus subter aculeis carentibus. *Abdomen* breviter ovato-triangulum, aequale latum ac longum. *Vulva* a vulva *E. punctigerae*, cet., affatim differt: constat e "corpore" humili rotundato testaceo, quod antice, intus, subito ad rectos angulos angustatum est, hic igitur paene semi-circulatum, et septo quodam nigricanti persectum est quod posteriora versus angustatum et utrinque nigro-marginatum per totum corpus vulvae retro producitur; porro e "scapo" a margine anteriore corporis vulvae exeunte, deorsum et retro curvato, basi corpore vulvae multo angustiore, sed eo paullo longiore, basi paullo angustiore quam in medio, versus apicem marginato, testaceo.

*Color.* — *Cephalothorax* testaceus, lateribus partis thoracicae obscurioribus, parte cephalica nigra; densius cinereo-pubescentis et pilis albis sub-erectis sparsus est cephalothorax. *Sternum* nigrum, fascia media longitudinali testacea. *Mandibulae* nigricantes; *maxillae* et *labium* nigricantia, illae in margine interiore et apice testaceae, hoc apice anguste testaceum. *Palpi* testacei, nigro-annulati. *Pedes* nigri, testaceo-annulati: femora annulos binos, basalem et medium sat latos, testaceos habent, praeterea ad maximam partem nigra sunt; tibiae annulos binos, metatarsi ternos annulos ostendunt, tarsi basi testacei sunt. *Pedum* aculei toti nigri, aut nigri, apice pallidi. *Abdomen* supra nigrum est, lateribus dorsi oblique et inaequaliter cinerascenti-lineatis; secundum medium picturam fere ejusmodi atque in exemplis obscuris *E. punctigerae*, *E. decentis* et *E. enucleatae* habuisse videtur dorsum, sed parum distinctam. *Venter* in medio niger maculis duabus minoribus flavis paullo ante mamillas notatum est. *Mamillae* nigricantes.

Lg. corp. 8 1/2; lg. cephaloth. 4, lat. ej. 3, lat. clyp. 2; lg.

abd.  $5 \frac{3}{4}$ , lat. ej. paullo plus  $5 \frac{1}{2}$  millim. Ped. I 13, II 11, III 8, IV paene 11; pat. + tib. IV paullo plus  $3 \frac{3}{4}$  millim.

Femina singula, ex Bhamò.

\*\* 186. **E. bipunctata**, n., *cephalothorace ferrugineo, cinereo-albicanti-pubescenti, area oculorum mediorum (quorum postici anticis parum majores sunt) aequae longa ac lata antice et evidenter latiore antice quam postice, oculis binis lateralibus spatio minuto separatis et tuberculo communi impositis, et spatio fere duplo majore a mediis anticis remotis quam quo distant hi inter se; pedibus pallide ferrugineis, densius nigro-annulatis; abdomine ovato-elliptico, paullo longiore quam latiore, antice nigricanti et hic maculis duabus parvis albis notato, dein, ante medium, transversim sub-ferrugineo, denique area magna triangula nigricanti, utrinque sub-dentata occupato, lateribus dorsi vittis inaequalibus transversis pallidioribus picto, ventre in medio nigro et fasciis duabus brevibus flaventibus inter vulvam et mamillas ornato, in lateribus nigro- et pallido-variato; scapo vulvae retro directo et acuminato lamina quadam oblonga compressa pallide ferruginea supra (versus ventrem) aucto et dilatato. — ♀ ad. Long. circa  $8 \frac{1}{4}$  millim.*

FEMINA. — *Cephalothorax* forma in hoc genere solita est; *oculorum* series postica modice recurva, a fronte visa leviter procurva, antica a fronte visa leviter sursum curvata. Area oculorum mediorum, qui tuberculo sat forti proclivi impositi sunt, et quorum postici mediis anticis parum sunt majores, aequae lata antice ac longa est, non parum latior antice quam postice. Oculi bini laterales, tuberculo communi impositi et spatio minuto sed distincto separati, fere duplo longius a mediis anticis quam hi inter se distant. *Sternum* non parum longius quam latius, elevationibus humilibus ad coxas praeditum, praesertim ad coxas 3.<sup>ii</sup> paris et in medio inter 4.<sup>i</sup> paris coxas: antice in medio paullo convexo-elevatum videtur. *Pedes* sat dense aculeati sunt, femora subter tamen aculeis carent. *Abdomen* pulchre ovato-ellipticum, saltem  $\frac{1}{5}$  longius quam latius, antice late et fortiter, postice paullo minus late rotundatum. *Vulva* e corpore transverso brevi, transversim rugoso constat, e quo postice scapus basi sat latus, retro

curvatus et directus, apicem versus sensim paullo (apice citius) angustatus et sub-acuminatus, versus ventrem leviter curvatus, ferrugineus exit, qui a latere visus apice angustus est, praeterea vero lamina compressa pallide ferruginea supra, versus ventrem, ad longitudinem auctus (dilatatus).

*Color.* — *Cephalothorax* ferrugineus, pube cinereo-albicanti sat densa vestitus. *Sternum* pallidius ferrugineum, marginibus sat late infuscatis. *Mandibulae* fusco-ferrugineae; *maxillae* pallidius ferrugineae, apice intus pallidae, ut *labium* summo apice. *Palpi* pallide ferruginei, paullo nigro-annulati. *Pedes* quoque pallide ferruginei, nigro-annulati: coxae anteriores macula nigricanti subter notatae sunt; femora apice sat late nigra, et praeterea, subter ad basin et in medio, macula inaequali nigra notata; patellae apice sat late nigricantes sunt, tibiae et metatarsi ternis annulis nigris cincti, tarsi apice late nigri, annulo basali angustiore et minus distincto. *Abdomen* pube brevi appressa sub-aurea densius vestitum est et pilis albicantibus sparsum: maculis duabus minutis albis (una utrinque), spatio sat parvo sejunctis prope marginem anticum ornatum est, dorso praeterea ante medium vitta lata transversa pallidius ferruginea minus distincta notata et ante eam transversim magis nigricante; pone eam aream magnam triangulam nigricantem utrinque inaequalem vel crasse sub-dentatam ostendit; latera dorsi vittis paucioribus transversis latis et inaequalibus pallidioribus picta sunt; praeterea punctis et maculis minutis pallidioribus sparsa sunt dorsum et latera abdominis. Venter in medio niger fasciis duabus brevibus vel maculis oblongis flaventibus minus bene limitatis anteriora versus divaricantibus fere in medio inter vulvam et mamillas ornatus est, et latera abdominis sordide testacea striis nigris inaequalibus ad longitudinem dense variata. *Mamillae* posteriores obscure testaceae, anteriores magis fuscae.

Lg. corp.  $8\frac{1}{4}$  millim.; lg. cephaloth. paullo plus 4, lat. ej.  $3\frac{1}{4}$ , lat. clyp. 2; lg. abd. 6, lat. ej. paene 5 millim. Ped. I  $12\frac{1}{2}$ , II  $11\frac{1}{4}$ , III  $7\frac{1}{2}$ , IV  $10\frac{1}{2}$ , pat. + IV 4 millim.

Exemplum femineum hic descriptum in monte Mooleyit (Te-nasserim) invenit Fea. Colore abdominis haec species *E. patu-*

*giatae, ocellatae* cet. sat similis est, sed minor, et forma vulvae plane alia praesertim ab ea diversa.

187. **E. Théisii**, Walck., 1841. Tenasserim.

188. **E. mitifica**, Sim. 1896. Bhamò.

\*\* 189. **E. pudica**, n., *cephalothorace, sterno, partibus oris, palpis pedibusque pallide fusco-testaceis, tibiis et metatarsis posticis apice et in medio plus minus evidenter nigris; serie oculorum anticorum fortius sursum curvata, oculis mediis aream parum longiorem quam latiore antice, et latiore antice quam postice occupantibus, oculis lateralibus anticis non majore spatio a mediis anticis remotis quam quo distant hi inter se; abdomine breviter elliptico-ovato, lurido-testaceo et punctis sat densis albicantibus consperso, vitta brevi lata transversa leviter recurva nigra apud marginem anticum, et in medio dorso punctis 4 nigricantibus fortius impressis paene in quadratum dispositis notato.* — ♀ jun. Long. corp. saltem  $4\frac{1}{2}$  millim.

FEMINA jun. — *Cephalothorax* laevis et nitidus est, utrinque anteriori fortiter sinuato-angustatus, parte thoracica utrinque sat fortiter rotundata, parte cephalica paullo altius convexa et a parte thoracica sulco profundo (impressionibus cephalicis inter se unitis) paene semi-circulato divisa, lateribus leviter rotundatis anteriora versus paullo angustata, fronte rotundata circa  $\frac{1}{3}$  latitudinis partis thoracicae aequante. Clypei altitudo vix diametrum oculi medii antici aequat. *Oculi* postici desuper visi seriem recurvam formant; a fronte visa haec series modice deorsum curvata est; series antica paullo fortius sursum est curvata. Medii postici reliquis oculis paullo majores videntur. *Oculi* medii aream paullulo (parum) longiorem quam latiore antice, et paullo latiore antice quam postice designant. *Oculi* laterales bini inter se contingentes sunt; antici eorum non longius a mediis anticis, quam hi inter se distant. *Pedes* mediocres, aculeis carentes (an ita in adultis quoque?) *Abdomen* elliptico-ovatum, paullo longius quam latius, paullo latius anteriori quam posteriori, antice late, postice minus late rotundatum.

*Color.* — *Cephalothorax*, *sternum*, *palpi* et *pedes* pallide fusco-testacea; cephalothorax pube rara pallida sparsus est, palpi et pedes nigro-pubescentes et -pilosi. In pedibus posterioribus vel saltem 4<sup>i</sup> paris tibiae et metatarsi apicem nigrum et anulum medium nigricantem habent. *Abdomen* lurido-testaceum est, punctis albis dense sparsum et apud marginem anticum vitta transversa lata parum recurva et saltem duplo longiore quam latiore nigra ornatum, punctis albis praesertim pone (apud) hanc vittam densioribus et hic maculas duas parvas parum evidentes formantibus; etiam in utroque latere abdomen umbram longitudinalem nigricantem habere videtur, et in dorso series duas longitudinales punctorum impressorum nigricantium ostendit, quorum quattuor in medio dorso quadratum paulo transversum formantia reliquis majora et profundiora sunt: etiam apice dorsum paulo nigricans videtur. Pilis luteis dorsum densius conspersum est; venter nigricans, *mamillae* flavo-testaceae.

Lg. corp.  $4 \frac{1}{4}$ ; lg. cephaloth.  $2 \frac{2}{3}$ , lat. ej.  $2 \frac{1}{2}$ , lat. clyp. paulo plus  $\frac{3}{4}$ ; lg. abd.  $3 \frac{1}{2}$ , lat. ej. paene 3 millim. Ped. I  $7 \frac{1}{2}$ , II  $6 \frac{1}{2}$ , III paene 5, IV paene  $6 \frac{1}{2}$ ; pat. + tib. IV  $2 \frac{1}{2}$  millim.

Femina singula junior, ex Mooleyit.

*E. mitifcae* Sim. et *E. postilena* Thor. haec species affinis videtur, vitta nigra transversa postice in abdomine carens et, ut videtur, pedibus aculeis carentibus, praesertim vero impressionibus cephalicis paene in semicirculum coeuntibus facile ab iis dignoscenda.

190. *E. origena* Thor., 1889. Carin Chebà.

191. *E. nox* Sim., 1877. (*E. pilula* Thor., 1877). Palòn, Carin Chebà, Bhamò.

192. *E. goniaea* Thor., 1889. Carin Chebà.

193. *E. papulata* Thor., 1887. Rangoon, Bhamò.

194. *E. lixicolor* Thor., 1895. Palòn.

195. *E. metalis* Thor., 1887. Bhamò.

196. *E. oxyura* Thor., 1877. (= *E. raphanus* id. 1887). Palón.  
 197. *E. centrodes* Thor., 1887. Palón.  
 198. *E. laglaizei* Sim., 1887. Palón, Bhamò, Malewoon.  
 199. *E. melanocrania* Thor., 1887. Mandalay, Teinzò.  
 200. *E. calyptata* Workm., 1894. Bhamò.  
 201. *E. pupula* Thor., 1889. Bhamò.

\*\* 202. *E. vulvaria* n., *cephalothorace rufo, parte cephalica a fronte visa supra aequaliter convexa, satis alta et lata; oculis mediis aream paullo latiore antice quam postice occupantibus, lateralibus anticis spatio duplo majore a mediis anticis remotis, quam quo hi inter se distant; pedibus brevioribus, aculeis nec multis nec longis armatis, rufescentibus, basi pallidioribus, paullo sub-fusco-annulatis; abdomine elliptico-ovato, supra luteo sive aurantio, punctis 4 nigris anterie et pone ea vena obscura sub-ramosa notato, postice et in lateralibus nigricanti; vulva scapo longo testaceo tortuoso retro directo et apice fortiter dilatato munito.*  
 ♀ ad. Long. circa  $4\frac{1}{2}$  millim.

FEMINA ad. — *Cephalothorax* paullo longior quam latior, a fronte visus supra modice et aequaliter convexus, antice utrinque minus fortiter constrictus, parte thoracica utrinque sat fortiter rotundata, parte cephalica anteriora versus sensim paullo angustata, sat magna et lata, altior et magis convexa quam est pars thoracica, fronte lata, leviter rotundata; clypeus humillimus. *Oculi* medii postici reliquis paullo majores videntur. Series duae oculorum longae: antica a fronte visa recta est, postica hoc modo visa deorsum curvata, desuper visa levissime recurva; oculi medii aream antice paullo latiore quam postice occupant. *Oculi* bini laterales inter se contingentes sunt, laterales anticis spatio saltem duplo majore a mediis anticis remoti, quam quo hi inter se distant. *Mandibulae* directae, duplo longiores quam latiores, femoribus anticis paullo crassiores. *Pedes* breves, crassitie medioeri, sat dense pubescentes, aculeis paucioribus nec longis



nec fortibus armati. *Abdomen* dimidio longius quam latius, elliptico-ovatum, punctis 4 impressis in dorso, in quadratum vel potius in trapezium paullo latius postice quam antice dispositis, et postice dense transversim rugosum. *Vulva* ex "corpore" lato obscure rufescenti inaequali constat, et ex "scapo" longo in zic-zac retro ducto et apice fortiter dilatato.

(Pars thoracica postice, in declivitate postica, impressione lata praedita est, ut in aliis *Epeiris* typicis).

*Color.* — *Cephalothorax* rufus, postice pallidior, pube pallida sat dense conspersus. *Sternum* rufescens. *Mandibulae* rufo-testaceae, *maxillae* et labium testaceae. *Pedes* et *palpi* rufescentes, femoribus basi pallidioribus; tibiae apice infuscatae sunt, metatarsi annulis medio et apicali fuscis cincti. *Abdomen* rufo-aurantium, punctis 4 impressis nigris antierius, et inter et pone ea vena longitudinali crassa sat brevi sub-ramosa obscura notatum; postice et in lateribus quoque obscurius est dorsum. Venter sordide sub-testaceus.

Lg. corp.  $4\frac{1}{2}$ ; lg. cephaloth. paullo plus 2, lat. ej. parum plus 2, lat. clyp.  $1\frac{1}{6}$ ; lg. abd.  $3\frac{1}{3}$ , lat. ej.  $2\frac{1}{4}$  millim. Ped. I  $6\frac{1}{2}$ , II paene  $6\frac{1}{2}$ , III circa  $3\frac{1}{2}$ , IV  $4\frac{1}{2}$ ; pat. + tib. IV  $1\frac{2}{3}$  millim.

Singula femina ad Palòn est inventa.

\*\* 203. *E. modesta*, n., *oculis mediis arcam aequae longam ac latam et circa duplo latiorem antice quam postice occupantibus, mediis anticis vix longius a lateralibus anticis quam inter se distantibus; cephalothorace testaceo, fascia media longitudinali nigra; sterno sub-fusco, fascia media longitudinali testacea; pedibus testaceis, densius nigro-aculeatis, tarsis anticis et tibiis  $4^i$  paris summo apice nigris vel fuscis; abdomine paullo longiore quam latiore, pulchre ovato-elliptico, macula sat magna nigricanti in declivitate antica, posterius in dorso vero area triangula nigricanti plus minus evidenti et utrinque serie lineolarum paucarum obliquarum nigrarum definita; ventre nigricanti-testaceo, pone rimam genitalem fasciis duabus parallelis florentibus et pone eas maculis duabus flavis ornatus, et pone mamillas aliis maculis duabus flavis mino-*

*ribus; scapo vulvae brevissimo, sub-circulato, subter excavato. —*  
 ♀ *ad. Long. circa 6 millim.*

FEMINA. — *Cephalothorax* forma plane ordinaria, paullo longior quam latior, laevis et nitidus, paullo pubescens, utrinque anterieus sat fortiter constrictus, sulco centrali et impressionibus cephalicis medioeribus; parte cephalica anteriora versus paullo angustata, latitudine clypei dimidiam latitudinem partis thoracicae vix aequante; frons rotundata est, clypeus humillimus. *Oculi* medii antici reliquis paullo majores videntur. Series oculorum postica desuper visa paullo recurva est, a fronte visa modice deorsum curvata; series antica modice sursum curvata est. Area oculorum mediorum aequae longae ac latae antice, fere duplo latior antice quam postice; oculi medii postici spatio vix eorum diametrum aequante separati sunt, medii antici saltem duplo majore spatio quam medii postici separati, vix vel parum longius a lateralibus anticis quam inter se remoti. *Pedes* sat breves et graciles, aculeis sat densis armati. *Abdomen* pulchre ovato-ellipticum, paullo longius quam latius, laeve et nitidum, sat dense pubescens. *Vulvae* corpus breve scapum oblique deorsum directum, paene semi-circulatum et subter excavatum, fusco-testaceum ostendit.

*Color.* — *Cephalothorax* flavo-testaceus, fascia media longitudinali ab oculis mediis anticis ad declivitatem posticam pertinente notatus. *Sternum* pallide fuscum, fascia media longitudinali testacea. *Mandibulae* sub-fuscae; *maxillae* basi intus nigricantes, praeterea testaceae; *labium* nigrum, apice sat late testaceum. *Palpi* testacei. *Pedes* testacei, tarsi et metatarsi anticis et tibiis 4<sup>i</sup> paris summo apice nigris vel nigricantibus; pube pallida vestiti et aculeis nigris armati sunt. *Abdomen* pallide testaceum, pallido-pubescens, macula sat magna lata nigricanti paullo inaequali in declivitate antica notatum, et tum, in medio dorso anterioris, punctis 4 sat parvis impressis fuscis in trapezium magnum postice paullo latius quam antice dispositis; posterius in dorso vero plaga triangula nigricanti, utrinque serie linearum 4 vel 5 brevium obli quarum nigrarum definita. In utroque latere abdominis, longe postice, maculas duas inaequales nigri-

cantes video. Venter nigricanti-testaceus pone rimam genitalem fasciis duabus parallelis (minus distinctis) flaventibus est notatus, quae sua quaeque macula distinctissima flava postice, ante mamillas, continuantur; pone mamillas aliae maculae duae flavae minores, cum illis trapezium postice angustius formantes, conspiciuntur. *Mamillae* sub-fuscae.

Lg. corp. 6 millim.; lg. cephaloth. paullo plus 2, lat. ej. 2, lat. clypei paene 1; lg. abd.  $3\frac{1}{3}$ , lat. ej. paullo plus 3 millim. Ped. I paene 7, II paullo plus  $6\frac{1}{2}$ , III paullo plus 4; IV paene  $6\frac{1}{2}$ ; pat. + tib. IV parum plus 2 millim.

Femina singula, ad Teinzò inventa.

\*\* 204. **E. morula**, n., *cephalothorace piceo, longo, humili, antice, cum oculis mediis, supra mandibulas producto, his oculis in quadratum dispositis; pedibus aculeis nigris et pallidis armatis, anterioribus ad maximam partem, tursis exceptis, fuscis, posterioribus pallidis, nigro-annulatis; abdomine parvo, sub-ovato, nigro, papula magna elevata, rotundata et sub-transversa, nigerrima ad apicem posticum praedito, utrinque apud eam albo-pubescenti et praeterea anterieus in dorso maculis minutis quattuor albis e pube formatis et in trapezium dispositis notato.* — ♂ ad. Long. circa  $3\frac{1}{2}$  millim.

MAS. — *Cephalothorax* humilis, pubescens, non parum longior quam lator, impressionibus cephalicis levibus, sulco centrali mediocri: in lateribus posterius sat fortiter rotundatus est, dein parum rotundatus et anteriora versus sensim angustatus, primum, usque ad oculos laterales, modice, dein brevioris spatio et usque ad oculos medios anticos, fortius angustatus, parte cephalica igitur longa, antice obtuse acuminata, fronte cum area oculorum mediorum supra mandibulas parvas prominenti. A latere visus cephalothorax in dorso paene rectus est, modo leviter proclivis. *Oculi* medii in quadratum sat magnum dispositi sunt, medii postici mediis anticis paullo majores, laterales bini parvi et contingentes inter se; laterales antici evidenter longius a mediis anticis quam hi inter se distant. *Palpi* breves et basi graciles, clava sat magna rotundata femora antica crassitie cir-

citer aequante. *Pedes* mediocres, aculeis longis armati; femora 4<sup>i</sup> paris aculeos 4 nigros praesertim conspicuos subter ostendunt. *Abdomen* parvum, humile, sub-ovatum, apice dorsi postico in papulam magnam nitidissimam rotundatam et paullo transversam elevato et praesertim apud eam pubescente.

*Color.* — *Cephalothorax* piceus, sat dense cinerascenti-pubescentens. *Sternum* cum coxis et trochanteribus fuligineo-fuscum. *Palpi* ad maximam partem nigri. *Pedes* anteriores fusci; tibiae et metatarsi anteriores anulum singulum vel binos annulos pallidos ostendunt; tarsi toti pallidi sunt; praeterea hi pedes aculeis longis fuscis sunt armati et pube albicanti vestiti; pedes posteriores pallidi, femoribus basi sat late fuscis, ut patellis et tibiis apice; metatarsi vero et tarsi horum pedum apice angustissime nigri sunt. Aculeis nigris et ad partem pallidis armati sunt pedes. *Abdomen* nigro-piceum, papula magna nitidissima rotundata paullo transversa nigerrima prope apicem dorsi posticum, apice dorsi utrinque circum eam albo-pubescenti; praeterea anterius in dorso maculis 4 parvis albis e pube formatis et in trapezium sat parvum et antice paullo latius quam postice dispositis notatum est abdomen, et punctis 4 impressis nigerrimis in quadratum vel potius in trapezium ordinatis. Venter niger, scutis pulmonalibus fuscis.

Lg. corp.  $3\frac{1}{3}$  millim.; lg. cephaloth.  $2\frac{1}{3}$ , lat. ej.  $1\frac{3}{4}$ ; lat. clyp. circa 1; lg. abd. 2, lat. ej.  $1\frac{2}{3}$  millim. Ped. I  $6\frac{1}{4}$ , II circa 5, III? IV 5; pat. + tib. IV circa  $1\frac{3}{4}$  millim.

Mas singulus ad Palòn est inventus.

Etsi corpore depresso et praesertim forma cephalothoracis satis notabilis est haec aranea, ad gen. *Epeiram* eam refero, quum nescio an nota illa modo sexus alterius (maris) sit, et praeterea ab *Epeiris* ordinariis non abhorreat *E. morula* nostra.

Gen. **Perilla**, THOR. 1895.

205. **P. teres**, Thor., 1895. Palòn, Bhamò. .

Gen. **Deione** (<sup>1</sup>), n.

*Cephalothorax* non parum longior quam latior, utrinque inter partes cephalicam et thoracicam excavato-impressus, a latere visus altus et convexus, parte thoracica brevi in lateribus rotundata, parte cephalica longa, fronte latissima: altitudo clypei diametrum oculi medii antici vix superat.

*Oculi* medii in quadratum dispositi; medii postici reliquis majores, laterales bini paene contingentes inter se, circa triplo longius a mediis anticis quam hi inter se remoti.

*Sternum* fere aequale latum ac longum, antice late truncatum, elevationibus parvis ad coxas.

*Mandibulae* duplo longiores quam latiores, crassae et convexae.

*Maxillae* et *labium* ut in *Epeiridis* plerisque.

*Pedes* sat breves et graciles, ita: I, II, IV, III longitudine se excipientes, aculeis paucis armati.

*Abdomen* oblongum, saltem interdum apice postico tuberculatum.

*Mamillae* in apice abdominis postico, subter, locatae.

Typus: *D. thoracica*, n.

Hoc genus ab *Epeira* vix nisi forma cephalothoracis insolita differt.

\*\* 206. **D. thoracica**, n., *cephalothorace rufo-piceo, cinereo-pubescente, excavatione utriusque lateris nigro-piceo; pedibus testaceis, nigro-annulatis; abdomine fere duplo longiore quam latiore, antice fortiter rotundato, lateribus modo leviter rotundatis posteriora versus sensim paullo angustato, postice truncato et in tubercula quattuor (duo utrinque) crassa et obtusa desinente, dorso in lateribus albicanti-cinereo, secundum medium vero nigro, hac area nigra versus medium, posterius, angustata et fascia angusta albicanti (linea vel cruce nigra geminata) persecta et maculis albicantibus parvis ocelliformibus sparsa, ventre secundum medium nigro, in lateribus albicanti-testaceo.* — ♀ ad. Long. paullo plus 5 millim.

(<sup>1</sup>) Deione, nom. propr. mythol.

FEMINA. — *Cephalothorax* circa  $\frac{1}{5}$  longior quam latior, utrinque anterie non parum sinuato-angustatus, parte cephalica impressione obliqua latissima et profunda utrinque a parte thoracica (quae in lateribus sat leviter rotundata est et postice truncata) separata, et quasi excavata: inter has excavationes pars cephalica sensim angustata paene ad declivitatem cephalothoracis posticam pertinere videtur. A latere visus cephalothorax in medio altus est, anterie et posterius paene aequaliter et sat fortiter convexus, posteriora versus sensim declivis, parte cephalica longa aequaliter in partem thoracicam transeunti; quoad libera est pars cephalica, anteriora versus paullo (parum) dilatata est, a fronte visa convexa, lateribus modo levissime rotundatis, paene rectis et parallelis; frons latissime rotundato-truncata parte thoracica parum angustior est, tuberculo oculorum mediorum paullo prominente. Pube sat crassa saltem posterius in parte cephalica et utrinque in parte thoracica, ante declivitatem posticam magnam glabram, vestitus est cephalothorax. Clypeus humillimus. Non parum pone oculos binos laterales (loco ubi excavatio illa glabra laterum antice initium capit) tuberculum parvum humile (oculo minuto sub-simile) in utroque latere partis cephalicae video. *Oculi* medii sat magni, tuberculo obtusissimo proclivi impositi et aream quadratam occupantes, medii postici reliquis non parum majores. *Oculi* laterales antici, cum lateralibus posticis paene contingentes, saltem triplo longius a mediis anticis quam hi inter se remoti sunt. *Sternum* aequale latum ac longum, fere dimidiato-ovatum, punctis minutis elevatis sparsum. *Mandibulae* duplo longiores quam latiores, ovato-cylindratae, femoribus anticis circa duplo latiores, ungui mediocri; sulcus unguicularis antice et postice 4 dentibus armatus est visus. *Maxillae* et *labium* sunt ut in reliquis *Epeiridis* plerisque. *Palpi* et *pedes* breves, graciles, aculeis setisque paucis ad partem longis praediti. *Abdomen* duplo longius quam latius, in medio marginis antici fortiter rotundati in tuberculum obtusum et humile elevatum, quod aculeos duos sat fortes pallidos gerit: lateribus leviter rotundatis posteriora versus sensim paullo angustatum est abdomen, postice truncatum et hic superius tuberculis 4 crassis et obtusis in trapezium breve paullo

latius quam longius dispositis desinens, quorum duo superiora retro et paullo sursum directa sunt, duo inferiora retro directa et paullo magis inter se approximantia. *Vulva* ex area (lamina?) angusta transversa secundum medium excavata vel impressa constare videtur.

*Color.* — *Cephalothorax* rufo-piceus, utrinque anterieus, in excavatione illa inter partem cephalicam et partem thoracicam, nigro-piceus, pube appressa antrorsum directa cinerascenti utrinque in parte cephalica vestitus, et etiam in parte thoracica, anterieus, cinerascenti-pubescentis. *Sternum* nigrum; *mandibulae* piceae, *maxillae* utrinque testaceae, secundum medium (?) nigricantes; *labium* nigrum, apice anguste testaceum. *Palpi* testacei, parte tarsali et stria longitudinali in parte tibiali, supra, nigris vel piceis. *Pedes* testacei, nigro-annulati; femora anulum apicalem nigrum ostendunt, patellae basi et apice plus minus infuscae sunt, tibiae et metatarsi annulos binos nigros, medium et apicalem, habent, tarsi apice nigri sunt. *Abdomen* supra nigrum, lateribus late cinereo-albis, linea ter (basi et apice et praesertim late in medio) undulato-curvata ab area dorsuali nigra et in medio, posterius, angustata definitis; secundum medium haec area fasciam angustam longitudinalem albicantem ostendit, quae linea nigricanti persecta est et maculis sat parvis rotundis albicantibus, in centro nigris, est sparsa, quarum 4 anterieus in dorso sitae evidentius ocelliformes sunt et in trapezium postice latius ordinatae. Tubercula 4 abdominalia supra nigra sunt, postice et subter magis cinereo-testacea. Venter secundum medium niger, utrinque sat late albicanti-testaceus. *Mamillae* sub-fuscae, apice pallidae.

Lg. corp. paullo plus  $\delta$  millim.; lg. cephaloth.  $2\frac{1}{4}$ , lat. ej. paene 2, lat. clyp.  $1\frac{1}{2}$ ; lg. abd. paene  $3\frac{1}{2}$ , lat. ej.  $2\frac{1}{3}$  millim. Ped. I 6, II  $5\frac{1}{4}$ , III circa 4, IV  $\delta$ ; pat. + tib. IV 2 millim.

Femina singula in montibus Carin Ghecù inventa est.

Gen. **Ordgarius**, KEYS., 1886.

\*\* 207. **O. ephippiatus**, n., *cephalothorace nigricanti, dentibus 11 plus minus latis et fortibus armato; pedibus flavo-testaceis, dense*

*nigro-annulatis; abdomine transverso, lunato-triangulo, antice profunde emarginato et inter humeros rotundato-elevatos profunde depresso, dorso fascia lata nigra verrucis magnis repleta undique, excepto in medio antice, cincto, spatio magno dorsuali ab hac fascia incluso pulchre flavo; ventre nigricanti.* — ♀ ad. Long. 9 millim.

FEMINA. — *Cephalothorax* parum longior quam latior, antice utrinque sat fortiter sinuato-angustatus, latitudine clypei dimidiam partis thoracicae latitudinem circiter aequante, tuberculo oculorum mediorum et tuberculis binorum oculorum lateraliu[m] satis prominentibus; praeterea serie dentium trium latorum majorum secundum medium et dente singulo utrinque apud posteriorem horum dentium, ut et utrinque anterieus dentibus tribus minoribus in seriem obliquam dispositis munitus est cephalothorax, qui antice, inter dentes illos et tuberculum oculorum mediorum (obtusissimum et sursum et anteriora versus directum) proclivis est, posterius sensim declivis. A fronte visa pars cephalica multo latior quam altior est, sub-triangula, altitudine clypei longitudine areae oculorum mediorum duplo majore. *Oculi* medii aream paullo latiore[m] quam longiore[m], et postice paullo latiore[m] quam antice occupant; oculi bini laterales, inter se contingentes, et tuberculo communi alto impositi, plus duplo longius ab oculis mediis quam hi inter se distant. *Mandibulae* plus duplo longiores quam latiores basi, versus apicem sensim angustatae. *Pedes* breves et robusti, aculeis carentes, dense pilosi; metatarsi tibiis subclavatis paullo longiores sunt, tarsi brevissimi. *Abdomen* transversum, sub-lunato-triangulum, antice profunde rotundato-emarginatum et inter humeros rotundato-elevatos fortiter depresso; utrinque in dorso et in lateribus verrucis magnis dense inaequale est, quae fasciam praesertim in humeris latam et totum dorsum (excepto in medio antice) cingentem formant; ad ipsam basin ventris quasi clavum erectum video, quam scapum *vulvae* credo; magis postice venter rimam transversam longissimam et utrinque profundam ostendit, quae nescio an spiracula duo contineat (?).

*Color.* — *Cephalothorax* nigricans, dentibus dorsualibus nigricanti-testaceis. *Sternum* nigrum, *partes oris* nigro-testaceae. *Palpi* flavo-testacei, albicanti-pilosi, et praeterea paullo nigro-annulati.



*Pedes* flavo-testacei, albicanti-pilosi et dense nigro-annulati. *Abdomen* nigrum est, verrucis plerisque sub-olivaceo-nigris, plaga magna dorsuali posterius lata et transversa, antice angustiore et inter tubera humeralia producta, quae totum spatium inter verrucas dorsi occupat, flava et albicanti-pubescenti: in hac area puncta 6 fortiter impressa series duas incurvatas formant, et macula parva oblonga obliqua nigra prope utrumque humerum conspicitur. Venter niger, praesertim utrinque ad basim flavens et pallido-pubescentis, *Mamillae* nigrae.

Lg. corp. 9 millim.; lg. cephaloth.  $4\frac{1}{4}$ , lat. ej. 4, lat. clyp.  $2\frac{1}{2}$ ; lg. abd. 7, lat. ej. 9 millim. Ped. I  $13\frac{1}{2}$ , II  $13\frac{1}{2}$ , III  $6\frac{1}{2}$ , IV  $8\frac{1}{2}$  millim.

Exemplum feminineum, quod adultum videtur, ad Palòn inventum est.

208. **O. sex-spinosus** (Thor.) (*Notocentria sexspinosa* id., olim).

Gen. **Cyrtarachne**, THOR., 1868.

209. **C. inaequalis** Thor., 1895.

210. **C. melanosticta**, Thor., 1895.

\*\* 211. **C. bicolor**, n., *cephalothorace aequaliter convexo, laevi et nitido, cum sterno et partibus oris luteo-rubro, pedibus ejusdem coloris, sed tibiis, metatarsis tarsisque nigris; abdomine duplo latiore quam longiore, laevi, nitido, pone humeros rotundatos in lateribus et postice aequaliter rotundato, transversim dimidiato-elliptico fere, in medio latissime nigro et in ipso apice macula sat magna nigra ornato, humeris late luteo-rubris.* — ♀ ad. Long. circa 6 millim.

FEMINA. — *Cephalothorax*, partes oris, palpi et pedes plane sunt ut in *C. cingulata* Thor. (1) diximus. *Oculi* quoque ut in ea; series eorum postica vix recurva est, et area mediorum paullulo (parum quidem) latior antice quam postice. *Abdomen* duplo latius quam longius est, antice latissime truncatum, laeve, nitidissimum,

(1) Descr. Catal. of the Spid. of Burma, p. 202.

et glabrum, humeris foras directis; pone humeros latissime et amplissime est rotundatum, *mamillis* non parum ante marginem dorsi posticum locatis. Cicatrices 5 majores in seriem paullo procurvam prope marginem anticum ostendit dorsum, et 4 centrales ordinarias, praeter 1 utrinque versus humeros. *Vulva* e callo transverso brevi nitido satis alto et transversim convexo constare videtur.

*Color.* — *Cephalothorax*, *sternum* et *partes oris* luteo-rubra sunt; *palpi* ejusdem coloris, partibus tibiali et praesertim tarsali nigris. *Pedes* quoque luteo-rubri, tibiis, metatarsis et tarsis nigris. *Abdomen* supra (postice usque ad mamillas) et antice late nigrum, utrinque, circum humeros apice (extus) macula sat magna rotunda nigra notatos, luteo-rubrum, ventre utrinque late luteo-rubro, in medio nigro. *Mamillae* luteo-rubrae in macula hujus coloris positae sunt.

Lg. corp. 6 millim.; lg. et lat. cephaloth. paene  $2\frac{1}{2}$ , lat. clyp. circa  $1\frac{1}{2}$ ; lg. abd.  $4\frac{1}{2}$ , lat. ej.  $8\frac{1}{2}$  millim. Ped. I paene 6, II paullo plus  $5\frac{1}{2}$ , III 4, IV circa 6 millim.

Femina singula, ex montibus Carin Gheca.

\*\* 212. **C. histrionica**, n., *cephalothorace lurido-testaceo, sterno nigro, palpis et pedibus nigris et late testaceo-annulatis; abdomine circa duplo et dimidio latiore quam longiore, laevissimo et nitidissimo, forma fere fabae transversae, antice latissime truncato vel potius paullo emarginato, postice pone humeros rotundatos late sed modo levissime rotundato, ad colorem in medio supra latissime lurido-testaceo, humeris praesertim subter late nigris, ventre fascia longa nigra a latere inferiore humerum sub mamillis ducta postice limitato.* — ♀ ad. Long. circa  $5\frac{2}{3}$  millim.

FEMINA. — *Cephalothorax*, *sternum*, *partes oris*, *palpi* et *pedes* ut in specie priore ad formam sunt. Area *oculorum* mediorum perfecte quadrata. *Abdomen* plus duplo, paene duplo et dimidio latius est quam longius, antice latissime truncatum vel potius paullo emarginatum, humeris sat late rotundatis foras directis; postice latissime et omnium levissime rotundatum est abdomen, et ita forma fere fabae transversae potius quam lunatum dicendum.

Laevisimum et nitidissimum est, in dorso transversim et praesertim ad longitudinem sat fortiter convexum; secundum marginem anticum seriem cicatricum 5 majorum ostendit, et supra cicatrices 4 ordinarias sat parvas. Praeterea in declivitate abdominis antica cicatrices nonnullas video, quarum tres mediae reliquis majores sunt. *Vulva* ex lamina sive callo transverso altissimo, transversim convexo et postice excavato constat.

*Color.* — *Cephalothorax* lurido-testaceus, macula nigricanti ad basin. *Sternum* nigrum; *mandibulae* lurido-testaceae, ungue fusco. *Palpi* nigri, parte femorali basi testacea, tarsali annulo lato sub-testaceo versus apicem cincta. *Pedes* nigri, late flavo-testaceo-annulati: femora et tibiae apice late testacei sunt, metatarsi apice nigro excepto flavo-testacei, tarsi paene toti testacei. *Abdomen* supra latissime et antice et postice (hic paene ad mamillas) sive ad maximam partem lurido-testaceum vel -flavens est, humeris praesertim subter et posterius late nigris: subter fascia sat lata nigra ab humeris circum mamillas nigricantes (sed in area sub-testacea locatis) ducta est, ventrem postice limitans. Venter in medio antice nigricans est, utrinque magis testaceus.

Lg. corp.  $5 \frac{2}{3}$  millim.; lg. et lat. cephaloth.  $2 \frac{1}{2}$ , lat. clyp. circa  $1 \frac{1}{4}$ ; lg. abd. paene 4, lat. ej.  $8 \frac{2}{3}$  millim. Ped. I  $5 \frac{1}{4}$ , II 5, III  $3 \frac{1}{2}$ , IV paullo plus 5 millim.

Femina singula, ex Carin Ghecu.

213. **C.** (*Paraplectana*, Sim.) *coccinella* Thor., 1890. Carin Ghecu.

Gen. **Anepsia**, L. Koch, 1871, Sm.

214. **A.** *maritata* (Cambr.), 1877. Palon.

215. **A.** *maculata* Thor., 1897. Malewoon.

Gen. **Thoracites** (1), n.

*Cephalothoracis* pars cephalica transversim elevata, alta et lata, parte thoracica multo altior, laevis, sulco medio longitudinali carens; clypeus humilis.

(1) θωρακίτης, miles cataphractus.

Area oculorum mediorum paene quadrata, paullo latior postice quam antice; oculi bini laterales contingentes inter se, circa 4. plo longius a mediis quam hi inter se remoti.

*Sternum* breve, ovato-triangulum, antice late truncatum, apice postico brevissimo sed acuminato.

*Mandibulae* fortes, breves, ungui brevi. Sulcus mandibularum unguicularis in margine antico 3 dentibus, in postico 6 dentibus armatus est.

*Maxillae et labium* brevissima.

*Pedes* brevissimi, sat graciles, aculeis paucis brevibus praediti.

*Abdomen* longius, posteriora versus sensim angustatum, totum cute dura tectum, spinis carens.

Typus: *Th. acuminatus*, n.

A *Bunocrania*, Thor., typus hujus generis praesertim abdomine cute dura, quasi cataphracto, incluso differt, et (femina) parte cephalica sulco medio longitudinali carente. In *Bunocrania* mas junior (et femina?) sulcum medium longitudinalem in parte cephalica ostendit, et abdomen minus durum est, postice plus minus profunde in duos lobos divisum. Forma cephalothoracis cum *Hypophthalma* Guér., satis convenit *Thoracites*.

\*\* 216. *Th. acuminatus*, n., *cephalothorace piceo, parte thoracica paullo pallidiore, partibus oris nigro-piceis, palpis pedibusque rufotesticis, nigro-annulatis; abdomine duplo longiore quam latiore, posteriora versus sensim angustato, apice breviter triangulo impressionibus duribus transversis quasi in tres gradus diviso, gradu medio reliquis duobus longiore, gradu inferiore iis brevior; dorso abdominis nigro, fascia longitudinali flava ornato, quae antice rotundata fere est, tum, in medio, constricta, dein vero, posterius, ramum transversum utrinque emittente, denique maculâ rotundatâ desinente, pone quam alia macula rotundata flava conspicitur; lateribus abdominis maculis parvis rotundatis et striis transversis flavis plus minus notatis; ventre toto nigro.* — ♀ ad. Long. 7-8 millim.

FEMINA. — *Cephalothorax* paullo longior quam latior, tibiâ cum patella 4.1 paris paullo longior, laevis et nitidus, lateribus partis thoracicae leviter rotundatis, parte cephalica lata et alta,

lateribus paene rectis et parallelis, ad formam ut in feminis *Gasteracantharum* sed supra magis aequaliter convexa; sulco vel linea media longitudinali impressa caret pars cephalica, quae postice sulco forti fere semi-circulato a parte thoracica multo humiliore limitatur; frons leviter rotundata latissima est, parte thoracica vix angustior. Altitudo clypei longitudinem areae oculorum mediorum fere aequat. *Sternum* crasse impresso-punctatum, paene aequale latum antice ac longum, postice breviter acuminatum, sed non apice postice incisum. *Oculi* medii postici, reliquis oculis paullo majores, cum mediis anticis aream quadratam, modo paullo angustiore antice quam postice occupant; laterales bini, contingentes inter se, saltem 4.plo longius a mediis anticis quam hi inter se distant. *Mandibulae* conicae, circa dimidio longiores quam latiores, femoribus anticis saltem duplo latiores; ungue brevi, forti. *Maxillae* et *labium* brevissimae. *Pedes* brevissimi, aculeis paucis brevibus (3 in femoribus 1.<sup>1</sup> paris) armati. *Abdomen* duplo longius quam latius, antice fortiter rotundatum, posteriora versus sensim lateribus anterie leviter, posterius vix rotundatis sensim angustatum, apice breviter triangulo et transversim parum profunde trifido sive in tres gradus divisum, quorum medius reliquis duobus longior et latior est, inferior reliquis brevior. Totum abdomen cute duriuscula coriacea tectum est et supra et subter punctis crassis dense impresso-punctatum et praeterea impressionibus paullo majoribus sed minus evidentibus 5 anterie, praeter 5 marginalibus utrinque, notatum, aliisque paucis posterius. Utrumque latus series saltem tres longitudinales punctorum impressorum longiorum ostendit, et venter punctis nonnullis ejusmodi praesertim inter mamillas et apicem est sparsus; pone mamillas tres lineas profunde impressas procurvas ostendit, quarum tertia gradum illum inferiorem circumdat. (Linea transversa ejusmodi etiam gradum superiorem a medio sive apicali separat). *Mamillae* circa duplo longius a petiolo quam ab ipso apice abdominis distant, non tubulatae. *Vulva* e corpore lato transversa et scapo brevissimo deorsum et retro directo constat.

Lg. corp. 7 millim.; lg. cephaloth. paullo plus 2, lat. ej. 2,

lat. clyp. 2; lg. abd.  $5\frac{1}{2}$ , lat. ej. 3 millim. Ped. I  $5\frac{1}{2}$ , II  $5\frac{1}{4}$ , III  $3\frac{1}{2}$ , IV paullo plus 5; pat. + tib. IV 2 millim.

Feminae paucissimae in montibus Carin Ghecù inventae sunt.

Gen. **Bunoerania**, THOR., 1878.

217. **B. biloba** Thor., 1878. Bhamò.

MAS *junior* colore *abdominis* a colore maris junioris antea a me decripti (1) paullo differt: dorsum abdominis ejus in margine antico lineam vel vittam recurvam flavam ostendit, et pone (apud) eam fasciam longitudinalem plerumque bis abruptam, et maculam parvam pone eam; tum, praeter maculam inaequalem in utroque latere, plerumque maculam minutam utrinque, in apice loborum duorum ostendit, tertiamque inter eos, his maculis omnibus flavis. Venter sex maculas minutas in series duas longitudinales digestas exhibet, quarum quattuor anteriores mamillas cingunt.

MAS *adultus* praesertim forma cephalothoracis a mare jun. differt; long. ejus 2 millim. est. *Cephalothorax* paullo longior quam latior est, lateribus usque ad (ante) oculos laterales aequaliter et modice rotundatis, tum utrinque subito fortissime angustatus et in partem desuper visam quadratam et reliqua parte cephalica circa sextuplo angustiorem productus, quae oculos 4 medios paene in quadratum dispositos supra gerit; a latere visus cephalothorax in medio altissimus et fortiter convexus est, anterieus modice proclivis, postice longe et fortiter declivis, sulco longitudinali medio sat tenui ab oculis mediis per partem cephalicam retro ducto praeditus, parte cephalica parum a parte thoracica granulosa divisa, dense et crasse impresso-punctata. *Oculi* medii postici mediis anticis non parum majores sunt; oculi bini laterales, inter se contingentes, mediis praesertim posticis minores sunt, spatio 4.plo majore a mediis posticis quam hi inter se remoti. *Palpi* basi angusti, clava magna, sub-globosa. *Pedes* breves et graciles; 1.<sup>3</sup> paris pedes aculeis nonnullis brevissimis armati sunt. *Abdomen* ut in ♂ *jun.*, modo brevior, vix

(1) Studi, cct., II, Ragni di Amboina, p. 25.

dimidio longior quam latior in dorso; praeter puncta impressa circa 8 secundum marginem anticum puncta vel impressiones majores 6 in series duas longitudinales ordinatas ostendit.

*Color.* — *Cephalothorax* niger, albo-pubescens, parte cephalica paullo pallidiore. *Palpi* basi testacei, clava ad partem nigra, ad partem fusca. *Pedes* testacei, nigro-annulati; 1.<sup>a</sup> paris pedes femora et patellas tota nigra habent. *Abdominis* color ut in ♂ *jun.* fere est. *Mamillae* nigrae, in area rotunda nigra positae.

Exempla paucissima ad Bhamò collecta sunt. Num mas *Gasteracanthae* cujusdam est haec araneae, quam eandem ac *Cyrtophoram cephalotem* Sim. (Études arachn. IX. Arachn. d. îles Philippines, in Ann. de la Soc. Ent. de France, 3<sup>e</sup> Sér., VII, p. 73, Pl. 3, fig. 8) antea paene suspicatus sum? — Conf. figuras maris *Gasteracanthae geminatae* (Fabr.), in Simon, H. N. d. Ar., 2.<sup>e</sup> Éd. I, p. 836, fig. 886, 887.

Gen. **Plectana** (WALCK.), 1841.

218. **P. Hasseltii** (C. L. Koch), 1838. Palòn, Teinzò, Bhamò, Carin Asciiui Ghècù.

Gen. **Gasteracantha** (SUND.), 1833.

219. **G. diadestia** Thor., 1887. Palòn, Bhamò.

220. **G. frontata** Blackw., 1864. Palòn.

221. **G. leucomelaena** [*leucomelas*] (Dol.), 1859. Rangoon, Prome, Meetan.

222. **G. brevispina** (Dol.), 1859. Palòn.

223. **G. Kuhlii** C. L. Koch, 1838. Aswon.

Gen. **Caerostris**, THOR., 1868.

224. **C. paradoxa** (Dol.), 1859. Palòn, Aswon.

Gen. **Talhythbia** (1), n.

*Cephalothorax* inaequalis, utrinque antice sinuato-angustatus, parte cephalica non elevata, fronte sat lata et paene truncata; impressiones cephalicae fortes, postice non coeuntes; fovea centralis pone eas fortis et transversa et in medio postice sulco medio longitudinali brevior continuata.

*Oculi* 8; laterales bini spatio evidenti disjuncti et sub tuberculo acuminato locati, a mediis longe remoti; medii postici, qui mediis anticis majores sunt, cum iis trapezium postice latius quam antice formant. Series oculorum antica a fronte visa deorsum est curvata.

*Mandibulae* breviores, ungui brevi; sulcus unguicularis antice 4 dentibus, postice 3 dentibus armatus est.

*Maxillae* porrectae, paullo longiores quam latiores, angulo apicis exteriore rotundato.

*Labium* aequè longum ac latum, sulco transverso profundo recurvo in partes duas paene aequè magnas divisum, parte apicali triangulo-lunata, sub-acuminata.

*Pedes*, qui ita: I, IV (vel IV, I), II, III longitudine se excipiunt, aculeati sunt; patellae, tibiae et metatarsi saltem 1.<sup>i</sup>, 2.<sup>i</sup> et 4.<sup>i</sup> parium deplanati, paullo deorsum curvati et in lateribus longius pilosi; coxae sat longae, metatarsi tibiâ longiores, tarsi breves. Unguiculi tarsorum superiores aequaliter curvati; alter eorum 10-12 dentibus densissimis pectinatus est, alter dentibus paucioribus, quorum duo apicales reliquis non parum sunt longiores. Unguis inferior binis dentibus est pectinatus.

*Abdomen* sub-transversum, molle, antice inaequale vel tuberculatum, impressionibus nonnullis majoribus praelitum.

*Mamillae* breves, non tubulatae.

Typus: *T. depressa*, n.

Pedibus deplanatis hoc genus *Caerostri* praesertim affine est, formâ cephalothoracis et labii, cet., ab ea tamen longe remotum.

(1) Ταλθύβριος, nom. propr. mythol.



\*\* 225. *T. depressa*, n., *cephalothorace piceo-fusco, pube brevi appressa ferruginea vestito; pedibus fusco-testaceis, annulis fuscis minus dense cinctis; abdomine depresso, humili, sub-cinereo-testaceo, in lateribus fortius rotundato, postice breviter triangulo, antice in medio late sub-truncato et nigricanti, huc area (declivitate abdominis antica) utrinque tuberculo conico pallido limitata et in medio posterius bulla sat parva praedita, his tuberculis et bulla dente minuto supra auctis; ventre nigro, vitta transversa flava (vel maculis duabus flavis) in medio ornato.* — ♂ jun. Long. 11 millim.

MAS jun. — *Cephalothorax* parum longior quam latior, utrinque sat fortiter sinuato-angustatus, fronte dimidiam partem thoracicam latitudine aequante, paene truncata, utroque angulo ejus in tuberculum acuminatum elevato, quod exterius oculos binos laterales gerit. Pars cephalica, quoad libera est, brevis, et anteriora versus sensim paullo angustata; pars thoracica in lateribus ample et fortiter rotundata est, postice late et leviter emarginata. Paene planus est cephalothorax, sed pars cephalica mox pone oculos transversim impressa est, et magis postice alia impressione transversa praedita, et tuberculis paucis in paria dispositis scabra. *Pedes*, non multum ad longitudinem inter se differentes, deplanati et aculeis paucioribus armati sunt. *Abdomen* paullo latius quam longius, antice inaequaliter rotundato-truncatum, in lateribus aequaliter rotundatum, postice breviter triangulum; depressum et humile est, in medio antice, inferius, breviter et late productum et late emarginatum; antice superius vero duo tubercula, unum utrinque, versus humeros sed multo magis intus sita ostendit, et in medio inter ea, paullo magis postice, bullam quandam rotundatam anteriora versus directam, quae, ut tubercula illa, dente parvo nigro supra armata est. Spatium transversum nigricans (circa 5 millim. latum) inter angulos pallidos prominentiae marginis inferioris et tubercula illa superiora (pallida quoque) declivitatem abdominis anticam repraesentare videtur. In medio dorsum duas impressiones rotundatas profundas — praeter alias minores posterius — ostendit.

*Color.* — *Cephalothorax* piceo-fuscus est, pube brevi appressa ferruginea (in lateribus partis thoracicae alba) vestitus. *Sternum*

flavens; *mandibulae* basi piceae, apice late testaceae, ungue piceo; *maxillae* flavo-testaceae, *labium* sub-testaceum, parte basali obscuriore. *Palpi* sub-testacei, basi paullo obscuriores. *Pedes* fusco-testacei, femoribus apice late infuscatis; etiam tibiae, patellae et metatarsi apice paullo infuscati videntur, et tibiae et metatarsi praeterea anulum infuscatum in medio habent; tarsi apice fuscii sunt. Aculei pedum nigri; in lateribus patellae, tibiae et internodia insequentia pilis sat longis patentibus albis sat densis munita sunt et praeterea pilis brevioribus nigris supra sparsa. *Abdomen* supra cinereo-testaceum est, pube brevi albida conspersum, antice inter tubercula vero nigrum vel nigro-variaturum, dentibus paucis minutis nigris quoque; venter subter ante mammillas vitta fere semi-circulari nigra, et versus petiolum alia vitta transversa nigra notatus est, et inter has duas vittas vitta transversa flava vel maculae duae flavae conspiciuntur. *Mamillae* nigricantes.

Lg. corp. 11; lg. cephaloth. 5, lat. ej. paene 5, lat. clyp.  $2\frac{1}{2}$ ; lg. abd. 7, lat. ej. 8 millim. Ped. I 17, II 16, III 15, IV circa 17; pat. + tib. IV paullo plus 6 millim.

Mas singulus nondum plene adultus, cujus abdomen paullo vitiatum est, in Tenasserim ad Malewoon (?) invenit Fea.

---

Errata in « Secondo Saggio sui Ragni Birmani » I:

Pag. 23 (183), lin. 20 pro *Melopoeus Pocockii* lege: *M. minax*

» 103 (263), » 21 » *Ps. Singoriensi* » *Ps. Singaporensi*

---